
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 A
14

Assistentiæ Germaniæ S. J.

VITA VENERABILIS YOLANDÆ PRIORISSÆ AD MARIÆ VALLEM

in Ducatu Luciliburgensi


CUM APPENDICE DE MARGARITA

HENRICI VII. Imperatoris Sorore, eiusdem loci Priorissa.

ET

GENEALOGIA HISTORICA

Veterum Comitum Viennensium in Arduennâ.



Authore ALEXANDRO WILTHEMIO Luciliburg. Soc. IESU Presbytero.

ANTUERPIÆ,
Typis MARCELLI PARYS, sub Turri Divæ Virginis, in aureâ Clavi, 1674.



AD REVERENDAM ADMODUM
ET ILLUSTRISSIMAM DOMINAM

D. MARIAM MAXIMILIANAM

PRIORISSAM
NOBILISSIMI COENOBII

MARIÆ VALLIS

ORDINIS D. DOMINICI
Natam Comitissam Fuggeram,
ET PRÆNOBILEM DOMINAM

MARIAM CHRISTINAM D'ALLAMONT

SUBPRIORISSAM,
Reliquasq; Eiusdem Nobilissimi Cænobij Dominas Virgines.

ALLOCUTIO AUCTORIS.


Irabimini fortasse, Dominæ, quod Latinè vos alloquor. Id facio non ignoratione

linguæ vobis notæ, ſed quod Allocutionis meæ teſtem eſſe cupio, Orbem Univerſum. De rebus enim Yolandæ veſtræ ad vos ſcribo, quam vos non modo generis claritudine, ſed etiam vitæ inſtituto morumque integritate eſtis aſſecutæ, & eodem, quo ipſa, loco, vitam per omne virtutum genus agentes, eius veſtigia non tam pedibus, quam morum ſimilitudine teritis, ſpretis mundi delicijs & nobilitatis gentilitiæ ſplendore contempto, Deo vos famulas dedicaſtis, Yolandæ veſtræ imitatrices; & tu inprimis, Domina Maximiliana. Illa à Comitibus orta, Regium ſanguinem non unâ generatione ſuo commiſcuit: Tu in Illuſtriſſimâ Fuggerorum gente nata, plurimas Germaniæ Principum familias conſanguinitate complexa es; & quod huic

huic argumento proprium eſt, per Comites Naſſovios à Viennenſibus variâ propagine deſcendis; ut tantò etiam maior atque arctior tibi ſit cum Yolandâ generis coniunctio. Verum quoniam præſtat, nobiliter vivere, quam naſci: tu ad exemplum eiuſdem tuæ Yolandæ, ſpretâ illâ ſublimium ſtemmatum & imaginum pompâ, intra modicos cœnobij receſſus, Chriſti ancilla eſſe maluiſti, quam in palatio Domina; atque ut ab Yolandæ veſtigijs ne latum quidem unguem diſcederes, feciſti id à pueritiâ, atque in eodem, quo ipſa, ſacro D. Dominici Ordine. Loci tantùm intererat, ut iam nihilo invicem diſtaretis. Ergò providus rerum gubernator Deus ita omnia admoderatus eſt, ut è Bojis ad MARIÆ Vallem mitterêre, mori-

 bus

bus ibi atque disciplinâ in pristinâ dignitate retinendis, eo successu, ut modestiâ, pietate, & prudentiâ tuâ singulari, promerita sis, in regendâ familiâ ipsissimo Yolandæ magistratu perfungi. Ad extremum, sicut Yolandæ mater, filiæ secuta exemplum, ad MARIÆ Vallem Sanctimonialis facta est: ita tua quoque Illustrissima mater, Maria Eleonora Hoënzollerana, velo D. Dominici Ordinis sumpto, in eo piissimè diem clausit extremum. Hæc cuncta cum ego universo orbi terrarum cognita atque perspecta esse cuperem, utique linguâ orbis terrarum, hoc est Latinâ, hanc allocutionem facere me oportuit. Quæ me etiam ratio multò magis impulit, ut res Yolandæ in eundem sermonem conferrem potius, quam in nostro, hoc est Ger-

manico

manico, quo ſcriptæ ſunt, relinquerem. Nec dubito, quin ſitis probaturæ hoc meum conſilium. Niſi fortaſſe ſatius eſſe ducitis, eaſdem Yolandæ res tradi unius Germaniæ notitiæ, quam omnibus Europæ Populis, imò remotiſſimis Aſiæ, Africæ, atque Americæ habitatoribus innoteſcere: quod nunc fieri poſſe, nemini dubium eſt, poſtquam lingua Latina per barbaros illos populos, alibi velut ſparſa in Colonias nova in dies accipit incrementa, alibi etiam civitate donata viget. Et erunt fortaſſe aliqui in illis gentibus, maximè in Europâ, qui ſuæ cuique nationi, ſi ita videbitur, res Yolandæ linguâ patriâ deſcribent, vel in totum ex me hauſtas, vel cum auctario ſuo. Hâc ergò eis relictâ curâ, **Yolandam vobis, Dominæ, ſiſto, cum**

votis, ut vestra MARIÆ Vallis à tenuibus primùm exorta initijs, provecta deinde per Yolandam ad virtutum omnium splendorem, per Vos deinceps & cum Vobis in eâ pulcherrimâ luce sine fine crescat.

FACULTAS

Superiorum Societatis.

EGo infrascriptus Societatis IESU in Gallo-Belgica Provincialis, iuxta Privilegium eidem Societati concessum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, potestate ad hoc mihi factâ à P. N. Generali, Ioanne Paulo Oliva, Facultatem concedo MARCELLO PARYS Typographo Antverpiensi, ut librum, cui titulus est *Vita Venerabilis Yolandæ, Priorissæ Mariæ Vallis in Ducatu Luciliburgensi, cum appendice de Margarita Henrici VII. Imperatoris Sorore eiusdem loci Priorissa, & Genealogia veterum Comitum Viennensium in Arduenna*, compositum à P. Alexandro Wiltheimio Societatis IESU, ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere possit. Datum Luxemburgi 18. Iunij 1674.

IO. BLAUWARTS.

AD

AD
LECTOREM.

Scripsit de Vitâ Yolandæ Hermannus Cœnobita Ordinis D. Dominici, ut in Notationibus monui. Exstat eius codex ad MARIÆ Vallem membranaceus, antiquâ manu exaratus. Constat rhythmis perpetuis Germanicis, sed dialecto vetere, & quæ minimùm sapiat tria secula. Quos Latinæ consuetudini reddendo, verbum pro verbo ponere minimè debui, non verborum, sed rerum interpres. Sententias autem & verborum intellectum, eâ fide me reddidisse confido, quæ summa desiderari potest. Itaque si passim occurrant Yolandæ aliorumque lacrymæ, si D. Dominici aliorumque Sacrorum Ordinum quædam inter se concertatio, & cetera huiusmodi,

me-

memineris, non esse hæc mea, sed Hermanni. Quæ mea sunt, dimidijs quadrantibus ita [ ] efformatis inclusi. Hisce vale, & lege feliciter.

APPROBATIO CENSORIS.

INfrascriptus legi librum cui titulus est. *Vita Venerabilis Yolandæ Priorissæ MARIÆ Vallis in Ducatu Luciliburgensi, cum Appendice de Margarita Henrici VII. Imperatoris sorore, eiusdem loci Priorissa, & Genealogia Veterum Comitum Viennensium in Arduenna* compositum à R. P. ALEXANDRO WILTHEMIO Societatis IESU Presbytero, in quo nihil reperi quod Sacræ Romanæ Ecclesiæ adversetur aut bonis moribus contrarium sit, quin imò multa quæ & Religioni & Historiæ Belgicæ profitura sint, quare utiliter typis evulgandum censeo. Datum Antverpiæ 10. Nov. 1674. in quarum fidem hisce subscripsi

AUBERTUS VANDEN EEDE I. V. L.
Canonicus & Archi-Diaconus
Antverp. Librorum Censor.

INDEX
CAPITVM.

Cap. VII.

chrum

APPENDIX.

GENEALOGIA HISTORICA.

Veterum Comitum Viennensium in Arduennâ.

Cap. IV.

Index Capitum.

FINIS.


Corrigenda, addenda, mutanda.

Pag. 2. Comitive, lege Comitivæ.
(Auriaci, l. Auriaci.
Cisteriense, l. Cisterciense. *sic semper.*
pag. 3. (nata sub, l. nata sub.
p. 5. (Virgines, l. Virgines.
adeundi, l. adeundi)
p. 8. consilio, l. concilio *semper.*
p. 10. Maio, l. Maio)
p. 11. religatur, l. religatus.
p. 14. conticessere, l. conticescere.
p. 15. periculosa, l. percussa.
p. 19. Sanctimoniabus, l. Sanctimonialibus.
p. 21. Hœccine, l. Hoccine.
p. 22. Fredericus, l. Fridericus. *semper.*
p. 26. proprius, l. propius.
p. 27. ei clam cupiat, l. ei clam dictum cupiat.
(erant, l. erant.
Aleida, l. (Aleida)
est Bellacosta, l. (Est Bellacosta.
p. 28. generi ? l. genere ?
p. 29. Theobaldi, l. Henrici.
p. 35. Brachiana, l. Bruchiana.
p. 42. cruciata, l. cruciatu.
p. 53. lucidus. l. luridus.
p. 61. (habebat, l. habebat.
nuptam, l. (nuptam.
p. 62. Butkemium, l. Butkenium.
p. 64. dispicies, l. despicies.
p. 69. tergiversare, l. tergiversari.
p. 71. maiora, l. maiore.
paracerbe,] peracerbe.
p. 72. Est ad Gelbim, l. (Est ad Gelbim.
familia, l. familia)
p. 74. capescere, l. capessere.
p. 75. diligentaque, l. diligentiaque.
p. 76. addncere, l. abducere.
p. 80. facesce, l. facesse.
p. 81. excita, l. exagitata.
p. 85. divoveas, l devoveas.
p. 90. Cede, l. Cedo.
p. 93. videre, l. videtur.
p. 102. consistit, l. constitit.
p. 228. Padem, l. Paden.
p. 129. *Ad insigne contra-sigilli Margaritæ, circumscribe maiusculis hæc verba.*
CLAVIS SIGILLI.
p. 131. *XIII. Kal. Decembris, l. XIII. Kal. Septembris.*
conventus, l. conventus habebit.
p. 138. est Comitissa, l. & Comitissa.
MCCLXVIII. l. MCCLXVII.
p. 139. tum hac, l. tum hæc.
in ordinem VI. l. in ordinem IV.
Dele

Corrigenda, addenda, mutuanda.

Dele hæc verba: Fuisse porro; *eorumque loco pone*: Factum postea.
Dele: A quo enim potius, *&* *sequentia usque ad Caput XXII.*
p. 141. Theobaldi, l. Henrici.
p. 142. *In Epitaphio Margaritæ.* BAVDEWINI, l. BALDEWINI.
p. 144. 1192. l. 1196.
Waltherus. dele punctum.
p. 149. VI. Kal. Ianuar. l. XVI. Kal. Ianuar.
p. 150. quasi à Poncetta Meisenburgica, quæ Yolandæ in munere Priorissæ successit, l. quasi à Catharina aut à Poncetta Meisenburgica, quæ Yolandæ in munere Priorissæ successerunt.
p. 153. MCCLXXV. l. MCCLXXXV.
p. 156. *V. Kal. Mart.* l. *VI. Kal. Mart.*
p. 159. *Domicilla.* l. *Domicella.*
anno 1293. l. anno 1303.
Treveri, l. *in Treveri.*
C. & XX. Turon. l. *C. & XX. libras Turon.*
p. 160. *In Titulo Capitis*: *Post Poncettam Meisenburgicam*, lege *Post Poncettam Meisenburgicam & Aleidam.*
argumentis satis, l. argumenti satis.
p. 161. editis anno 1297. l. editis anno 1278 *& dele sequentia usque ad*, scriptum invenio.
p. 162. procurato, l. procuratæ.
Idus Decembris, l. *Idibus Decembris.*
p. 167. *soror Fecicitas*, l. *soror Felicitas.*
p. 170. leo rursus, l. leo russus.
p. 173. 16. Kal. *adde* Ianuarij.
p. 176. Vxillo Dunensis, l. Vxello dunensis.
p. 179. *ou chapeline*, l. *ou capelline.*
Poorgespan/ l. Porgespan.
Dockein /, l. Deckein.
p. 180. gesmuck / l. geschmuck.
gesmide / l. geschmide.
p. 181. Stein / l. Steine.
Kunigin / l. Kuningin.
Schaachztabel / l. Schachztavel.
p. 183. gewercht / l. gewercht.
terteras, l. materteras.
p. 184. Sconoie, l. Sconoic.
p. 187. Centingen / l. Tintingen.
Gobolenis, l. *Gobolonis.*
p. 188. *quanta videlicet parte*, l. *quarta videlicet parte.*
p. 190. *contrarie*, l. *contraire.*
p. 191. Theodoirco, l. Theodorico.
p. 194. relinquerit, l. reliquerit.
p. 196. Comititis, l. Comitis.
p. 206. Esternacensem, l. Efternacensem.
p. 213. *sic ut*, l. *sicut.*
p. 214. *satisfactionem*, l. *satisfactionum.*
p. 220. Capitius, l. Capatius.
p. 221. parœcia, l. parœciæ.
p. 222 accidit, l. cecidit.
p. 223. 1268. l. 1267.
p. 226. Hokelelete/ l. Hokelelete.
p. 232. die Matris, l. die Martis.
p. 234. 1275. l. 1285.
p. 235. *XVI. Kal.* l. *XVII. Kal.*
p. 237. 1297. l. 1298.
p. 239. signato, l. signatis.
p. 240. rogato, l. rogatus.
p. 246. 1609. l. 1619.
p. 248. Elisabetha à Daum, lege Elisabetha à Daun.

Cetera faciliora emendabit Lector Benevolus.



DE VITA VENERABILIS YOLANDÆ PRIORISSÆ MARIÆ VALLIS EX HERMANNO.

CAPUT PRIMUM.

Yolandæ Patria, Genus, Pueritia, & à teneris addictus Deo animus.



VRam Provinciæ Luciliburgensis fluvium haud procul oppido S. Viti fons emittit. Suram illabitur, leucâ fermè unâ suprà Efternacum, ad vicum Walendortium. Ab ostio eius, adverso flumine, trium leucarum intervallo, arx atque oppidum est Vienna. Vetus admodum id loci nomen & iam Childeberti Regis, & D. Willibrordi temporibus relatum in Efternacenses tabulas.

Regioni circumſparſæ Comitiva dignitas ſæculis abhinc ampliùs quinque; & claruere priſci Comites longâ ſerie, quoad in gentem Spanhemianam & Naſſoviam enupſêre filiæ hæredes. Iam Naſſovij & [Auriaci ſub Carolo II. Hiſpaniarum Rege tenent.]

E priſcis Viennæ Comitibus fuit Henricus. Uxor ei Margarita, Petri Curtiniacenſis, Imperatoris Conſtantinopolitani filia, Balduini Hannonij, Imperatoris item Conſtantinopolitani Soror, D. Ludovico Galliæ Regi ſanguine iuncta. Erant Henrici opes ſuprà illuſtre genus magnæ. Ipſe bello ſtrenuus, animò mitis, moribus integer. Perinde Margarita virtutes claræ proſapiæ iunxerat, [*vel ex ſacris Canonibus nota eximiæ pietatis femina; ſed & prudentiæ*, inquit Gramayus. Mens tamen præfervida acres ſubinde excitabat in eâ iracundiæ impetus. Pietatem inter alia probat, quod cum Henrico conjuge Grandepratum, Namurenſis Provinciæ Giſterienſe monaſterium, ex Philippi fratris, bello Albigenſi mortui, voluntate, condidit. Sed inprimis fuit illuſtre pietatis eius exemplum, quod Henrico defuncto, velum inter Sanctimoniales MARIÆ Vallis ſumpſit, ut in loco referam. Prudentia in eo ſpectata, quod Namurenſem Provinciam, quam ſuam eſſe contendebat, gravibus impetita bellis diu defendit. Iuncta primum fuerat Rudolpho Vxellodunenſi: ſed eo mortuo, nupſit Henrico Comiti, quem dixi, Viennenſi. Ex hoc

matri-

matrimonio prodiêre liberi, Fridericus, mortuus antè parentes, & Philippus, gentis propagator. Henricus item ex Præposito ædis maximè Coloniensis, Episcopus Trajectensis, & Petrus, Præpositus primùm ad D. Martini Leodij, posteà Ordinis D. Dominici. Hæc proles mascula. Puellæ fuerunt duæ: ignoti nominis una, altera Yolanda; [nata sub annum M. CC. XXXI.] de cujus rebus gestis scribimus ex Hermanno; qui celsum Yolandæ genus commendaturus, ait, compertum sibi, protulisse Episcopos, Comites, & regio mixtos sanguini liberos, tantis virtutum ornamentis præditos, ut oratione non nisi longissimâ res ea comprehendi possit. [Nomen Yolandæ, ut facilè creditu, ab Yolandâ aviâ maternâ, Petri Curtiniacensis, Imperatoris Constantinopolitani conjuge, Balduini eo nomine IV. Comitis Hannoniæ, filiâ.] Erat jam puella in amoribus Parentum, eorumque unæ deliciæ. Formæ elegantia excellens: indoles præclara, mores eximij, mens suprà ætatem. Sed inprimis spectata pietas, & propensus ad divina animus: Si quos cerneret sacratos Deo homines, ijs perlibenter adesse, cum ijs agere: ita se gerere, ut foris etiam emicaret, latêre jam tum in eius animo sanctioris vitæ desiderium. Rogata aliquandò, velletne matrimonio viro jungi? *Ego*, inquit, *viro? Ego homini mortali? Haud, sanè, unquam! Cui nubam, is mecum sit oportet, vivatque unà mecum semper. Hic amor meus; quo si viro fruar, valete omnes, valete viri.* Ea puellæ vox haud

grata parentibus, quorum omne solatium, gaudiumque in Yolandâ. Objurgabat mater. Sed perstabat illa in dicto, ausa etiam addere: abesse verbis suis fucum: perinde se loqui, atque animo sentiret. Nec sanctè cogitatis erat vita dispar. Quidquid rectum bonumque, eò rapi magis, quàm ferri. Opus quidem agere cum puellis, nec in eo singularis. Vigilare interim, comprecari, abstinere à cibo, sed velut experimento. Quin adeò, quod mirêre, puella tenera & delicata se virgis cædere, aut alienâ manu se cædi jubere. Perpetua ei comes erat puella. Hæc, si quando clàm licebat, flagro in eam animadvertebat. Tales erant Yolandæ mores; ipsa interim omnium, quotquot eam cernebant, subigebat amore animos.

CAPUT II.

Cum matre Namurum proficiscitur; Salsinij inter Sanctimoniales suscipi ab Hymanâ antistitâ rogat. Sed passa repulsam, vitæ urbanæ & hilari mores accommodat, usque ad annos nubiles. Parentes eius deliberant de illius nuptijs.

FUit, ut Margarita Namurum proficisceretur, ductâ secum Yolandâ. [Erat in Suburbano nobile Virginum Cœnobium Ordinis D. Bernar-

Bernardi. Salsinio loco nomen. Virgines *Griseas* Hermannus perpetuò nuncupat, quod tum cinerei coloris amictu Cistercienses multum uti solerent, quâ de re cùm alij, tum maximè Manriquezius in Ordinis sui doctissimis annalibus. Antistes Salsinio tum præerat Hymana, Conradi Archiepiscopi Coloniensis ex Mathilde Viennensi uterina Soror, Yolandæ cognata; quæ causa Margaritæ fortasse fuit Salsinienses vigines adeundi.]
Comitabatur eam Yolanda; quæ, simul atque mater cœnobium ingressa est, ad tyrunculas se cursu contulit: eæ per monasterium circumducunt, atque interiora domus commonstrant. Ibi subitò Yolandæ animum incessit mentis ille ardor, quo se Sponsam Deo destinaverat. Nec mora, ceu nacta hic esset tempus atque locum explendi destinata, virgunculas summoperè obsecrat, uti Ordinis sui habitum proferant, eoque se conuestiant: decretum sibi, terrenis rebus valere iussis, ibi Sanctimonialem fieri; quin & locum ostenderent, ubi abdita delitesceret, & matris custodiam evaderet. Territæ hâc oratione puellulæ, ad Antistitam properantes, hæc ei nunciant. Hymana mulier sapiens, continuò, ut hæc ad se delata sunt, Yolandam adit. Cumque hæc pari, quo paulo antè, ardore, ordinis habitum postulasset: illa; at ætas tua tenera nimis est, inquit, mea Yolanda, nec quid sit Ordo noster perspectum habes. Ad hæc, adest, en, mater tua, & quàm ego pervelim, tàm illa non patietur esse

te nostram. Porrò matris ira nec tibi bono erit, nec commodo nobis. Tum Yolanda; at tu, quæso te, me tamen ordini vestro, si qua potes, adscribe. Matris ira, & ex irâ damnum, utrumque meum esto. Si usquam propè hîc secretus est angulus, huc me seclusam properè coniicite, flectet animum fortè mater, meæque obsecundabit voluntati. Sed Antistes: cessa, inquit; rem poscis quæ fieri nequit. Perge; adeunda est mater. Perculsa ad hanc vocem Yolanda, summo cum animi mœrore, spe suâ frustrata recessit. Haud multò post repetijt idem cœnobium Margarita, comite iterum Yolandâ. Hic exilire ei præ gaudio animus, & moram omnia arbitrari, donec loco succederet. Iterum antistitâ seorsùm aditâ flagrantissimâ prece sacram Vestem postulat: Iterum postulata negat antistita, iterum objicit ætatulam. Addit: incertum valdè esse, quo in posterùm futura sit animo. Atqui, ait Yolanda, animum ego meum, quam tu, utique novi melius: cæterùm quando nihil in te mihi est auxilij, vereor ne cassæ sint spes meæ, & ne frustrà hîc opem solatiumque quæsierim. Cum his mœsta conticuit, coacta imposterum premere silentio bonæ mentis decreta. Et erat cum matre abeundum. Quid interim ageret ita deiecta de spe suâ? Matris imperia atque nutum sequi oportebat: Ætati quoque aliquem dare locum: lætam hilaremque esse, quod & mater; & amici id poscerent, exigeret etiam vita. Ergò admittere ani-
mo

mo gaudia; quin etiam foris prodere; tractare etiam subindè ludicra, sed perquam decenter, mirâque cœpti gratiâ. Quibus rebus intuentium omnium amorem sibi conciliabat. Formæ tamen eximiæ venustas rapiebat maximè oculos, atque animos. Grata hæc admodum & iucunda parentibus. Margarita quidem, quod matribus solitum, speciei & moribus amatæ filiæ ex ornatu decus addere sollicita, vestem pretio & formâ singularem comparat. Memorat Hermannus pallam plumatilem: in reliquo vestitu; Syndones, byssos, bombycina ditiaque pallia; sed antè omnia excultum caput, magnum illud mulierum negotium. Flavi ei capilli revincti tenijs, fascijs, redimiculis, sertis bombycinis auro intextis. Hoc cultu habituque quocumque se ferret, gaudij atque lætitiæ omnia implebat, perita cuicumque se aptare ætati & conditioni. Inter ancillulas atque adolescentulas, ceu nacta ibi ætati suæ opportuna, agere familiariter: inter seniores, ad gravitatem mores atque verba componere: inter ęquales genere virgines, urbanitate præ cæteris omnium capiebat animos. Quin interdum neque choreas, neque cantum, ceteraque ioca, respuebat. Per hosce mores etsi fatendum, consopitam nonnihil videri potuisse mentem illam, quâ se puellula adhuc Deo Sponsam addixerat, pectus tamen inculpatum atque ab omni maculâ purum remanebat.

Interea iam processerant Yolandæ anni, adeatque

ratque nubilis ætas, & ætate penè maior maturitas. Itaque parentes deliberant, cui viro coniugem dent? Indicto super hâc re consilio, convenêre Conradus Coloniæ Archiepiscopus, Yolandæ cognatus, & Henricus eius frater, Præpositus tum summæ ædis Coloniensis, cum Henrico & Margaritâ parentibus, & primoribus clientium. [Memorantur autem in priscis tabulis clientes Comitum Viennensium, hi inter alios; Novocastrenses in Arduennâ Germanicâ, Eschenses ad Suram, Rulandij, Strepiniacenses, Brandenburgenses, Orchetenses, Heinsbergenses, Burscheitani, viri omnes equestri loco.] Dum hi de matrimonio Yolandæ, nescio quo loco, deliberant, ipsa interim harum ignara rerum Viennæ hilares degebat lætosque dies. Decenter psallere, ludere, choreas agere; mensâ uti opiparâ, vesci ferinâ alijsque edulijs pro conditione generis splendidè, cum ecce memor sponsæ suæ Deus, adest in tempore, & periclitanti subvenit.

CAPUT III.

Consilio Waltheri de Meisenburgo MARIÆ Valli se addicit, eoque conatur clam profugere.

FOrtè venêre Viennam ex ordine D. Dominici duo Sodales. Nunciatum continuò Yolandæ, mane orto iam dudum sole evigilanti,

esse

esse in Sacello Dominicanos Patres. Simul commota ab ijs nola, Sacrum indicebat. Nec mora ad Sacellum Yolanda approperat. Post Sacrificium, venerata hospites, quâ par erat urbanitate & magnificentiâ eos accipit, moxque cum eorum altero seorsùm abducto, varijs de rebus cœpit colloqui. Erat is Waltherus de Meisenburgo, [inter optimates patriæ famâ celebris. Genus ei nobile ex prosapiâ Meisenburgicâ, cuius hodièque in provinciâ nostrâ haud longè Rupe oppidulo, Viennâ leucis fermè tribus, arx est eius nominis pervetus, gente emortuâ. Iuvat de Walthero Cantipratani eius temporis Scriptoris verba ponere. *Est frater Ordinis Predicatorum VValtherus nomine de Meisenburgo, vir nobilis & relgiosus valdè, qui prœbendâ Cathedralis Ecclesiæ in Treviris relictâ, nec non & alijs possessionibus magnis, sub annis ætatis suæ sexdecim prædictum ordinem introivit, & in tantùm Religione & Scientiâ profecit, ut Prior in multis domibus, & Lector in Ordine Magnificus haberetur.* Hæc Cantipratanus de Walthero; quem quod dixit multorum fuisse cœnobiorum *Priorem*, id de Treviris mihi constat. Est Celobrium vetustissima Provinciæ nostræ arx, domicilium quondam priscæ gentis equestris, nominis eiusdem. Ex quâ gente Alexander de Celobrio *Advocatus*, seu ut nunc appellamus, Præpositus civitatis Luciliburgensis, in vico Tifferdingâ, haud longè Celobrio, cœnobium virginum Cisteriensium condidit, testibus tum alijs, tum testamentarijs eius tabulis,

 quibus

quibus inscriptum nomen *Fratris VValtheri de Meisenborch, Prioris Fratrum Prædicatorum in Treviri*, cuius suasu atque consilio eâ in re Alexander utebatur. Editæ tabulæ anno M.CC.XXXV. mense Maio. Cæterùm secundùm colloquium, quod cum Walthero Yolandæ fuerat, socius mensæ comiter adhibitus est. Hic Waltherus, ut ei moris erat, orsus sermonem de rebus inferre divinis, ubi animadvertit, maturum esse percunctari Yolandam de mente illâ suâ puerilium annorum, id agere instituit, & dicere, hâc de re narrantes se audisse. Cumque Yolanda ad hæc cogitabunda obticesceret, Waltherus iam apertè & fidenter, quæso te, inquit, etiamne perstas in illo animi decreto, quo sanctimonialis fieri volebas? Cui Yolanda, omnino perstare se, nec quidquam mutâsse. Tum ille: vis ergo fieri sanctimonialis? Illa: sanè volo, si ullo modo potest, & sinat mater. Benè habet, inquit Waltherus. Itaque si ego effecero, ut voluntati tuæ mater obtemperet, etiam obsecundabis voluntati tu meæ? Yolanda; ego matrem haud quaquam mihi obsecundaturam pro comperto scio; quâ solâ si volente utar, habeo scilicet mentis optata, quidquid deinde sors tulerit. Quanquam & Conradus Coloniæ Archi-Episcopus cognatus meus, & Henricus frater, summæ ædis ibidem Præpositus, haud modicè consilia mea tuaque disturbabunt; & hunc quidem offensum mihi in hâc causâ sat scio. Ad hæc Waltherus; crede mihi,

filia

filia charissima, dum una stet à te mater; cæteri, Pater, Frater, & Conradus Archi-Episcopus, tantùm abest ut adversentur tibi, ut etiam Consilio adfuturi sint. Fateri id ita esse Yolanda; itaque se totam resque omnes suas committere Walthero, eumque testem appellare coram Deo, Divâque Virgine, suæ voluntatis. Hîc repentè illapsa Yolandæ animo vis quædam divina, omnem eripuit rerum labilium amorem. Et magnis multisque infusa lacrymis: En aspice me, inquit, te quæso, iam pater mi Walthere; tota quanta sum, ad cœlestia convertor. Tu mihi genus vitæ elige, tu Sacrum Ordinem præstitue, qui maximè saluti sit mihi. Nulla in me mora, quin tuis haud cunctanter paream imperijs. Sed vide, per Deum, ut quod optimum, in me consulas. Hîc de commodo damnoque meo, tu præsta. Faciam sanè libenter, inquit Waltherus; & quandò te meis penitus decrêsti dedere consilijs, ordinem meum eligito. Sponsor & obses sum, non esse melius, quod eligas. Quid ais? Mihine parebis? Planè, inquit illa, & perlibenti animo. Sed ubi locus, quo ordini tuo me inseram? Ille: haud longè abhinc, leucis à Luciliburgo duabus, degunt Virgines Sanctimoniales Ordinis mei, magnæ vitæ innocentiâ. Inclusas ibi exili tenuique Cœnobio, sola mors educit. Huc commigres oportet. Ea Waltheri oratione, (quod mirêre) ceu vinculis religatur subitò Yolandæ animus, nullo deinde

metu, nullâ vi ab huius amore loci unquam divelli potuit. Et principiò quidem Waltherum sociumque eius summoperè orare instituit, ut iuvarent, remque maturarent. Quandò, inquit, mihi Auctores estis, ut eo loco sanctimonialibus aggreger, ita esto. Tollite moras, & è vestigiò, quod statutum, effectum date. At Waltherus vir prudens, quæso te, inquit, Yolanda, an per te licet, ut ante rem hanc matri indicem? Licet, inquit illa; quo enim animo ferret, si se insciâ, loci eius sanctimonialibus sodalem me coniungerem? Tum ille: Tantillum itaque interponendum moræ, dum pandantur tua matri consilia. Sed, quid illa si abnuat? Quid tum tu? Ego, inquit, Yolanda? Quando me Deo in perpetuum dedicavi, quidquid obstet mater, probè, sanè, intelligo, omnibus mihi contrà nitendum viribus. Quidquid mihi in veste, quidquid in ornatu gemmarum est, colligam in sarcinam, & & per arcis murum me demittam, atque ad Cœnobium, cui me addixi, tacita aufugiam. Macte illâ virtute! inquit Waltherus. His animis addat robur cæleste Numen. Atque cum his dictis finito colloquio discessit.

Proximâ nocte, cum Yolanda unà cum familiari ancillula de more decumberet, cœpit orsa sua versare animo. Certabant hinc Dei amor, hinc pristinæ deserendæ vitæ mœror; quæ lucta mox somnum pepulit. Subibat menti, carendum imposterùm omnibus delicijs, vitâque iucundâ:
dese-

deferendas opes, ditionem, populos, sed inprimis sororem, fratres, patrem & matrem, omnesque necessitudines. Hæc acriter perpensa, mœrenti uberes excussêre lacrymas. Mox tamen redeunte Dei memoriâ, & quid ei spospondisset, concipiebat pectore prorsùs virile robur, prompta res omnes terrenas etiam per mortem fugere. His agitata curis noctem transegit somni immemorem. At ubi deindè diluxit, ne tum quidem remissæ curæ. Erat ei inter puellulas Heilevivis, fida præ omnibus una à cubiculis, cui erat deliberatum Yolandam ad mortem usque sequi. Hæc arcanorum omnium dominæ suæ conscia, ei promiserat, comitem se venturam ad cœnobium, cui se Yolanda addixerat, ibique velum cum eâ sumpturam. Eam Yolanda manu prehensam benè manè ad arcis mœnia deducit. Circumspiciunt, quà se per murum demittant, atque ad cœnobium unà profugiant. Postquam conscendêre murum, animadvertunt locum descensui quidem habilem, at ea altitudine, ut absque læsione subsidere nemo possit. Hîc Heilevivis: domina, inquit, si quidem ad portam concesseris, hacque evaseris, sequar, profectò, quocumque tibi libitum, utcunque se fortuna feret: at hinc ex alto haud sanè cadam ego. Ita re infecta discessum. Yolandæ interim non deficiebat animus; quin adeò per mala atque adversa capiebat incrementum; quod toto reliquo vitæ cursu ei solemne.

CAP. IV.

CAPUT IV.

Rejicit sibi destinatas à matre nuptias, & coram eâ & Walthero Deo se devovet, atque à matre tentata, fortiter in cœpto persistit.

HAud multò post hæc Margarita ex conventu, de quo dictum est, Viennam rediit. Sub serum diei, cum concedendum esset cubitum, Yolanda iam anteà se lecto solam composuerat. Iubet mater conticessere mulieres, nec somnum filiæ interturbare, & claudi fores. Ipsa interim dum vestem omnes ponunt, atque ad decumbendum se comparant, sedebat ad spondam lecti. Cœpit ibi memorare, quid de Yolandæ matrimonio cum amicis constituisset. Repertum ei sponsum formâ venustum, genere nobilem, & moribus inclytum: ad hæc redundantem opibus. Conventum adeò in opima pacta matrimonialia. Vigil inter hæc Yolanda, cuncta audiebat; & erecta residensque in lecto, forti magnoque animo, infit. Frustrà es, domina mater. Virum ego alium neque concupivi unquam, neque concupisco, nisi, quem ipsa mihi legi, cui iam desponsata sum. Hic millecuplo melior, quàm quem tu memorâsti. Itaque missa dicta ista facito. Quod decrevit animus, id ne

fiat

fiat; ne ipsa quidem mors obstiterit. Periculosa hâc voce mater, dissimulato pectoris motu, conticuit, nec responso dignata Yolandam, ceu serius rei iam deliberatæ restitantem. Cura tamen eam macerabat, atque in diversa trahebat, somni & quietis omnino expertem. Simul atque diluxit, stratô consurgens, mox eò se cogitatione convertit, quo pacto tacitè animum filiæ ad plenum cognosceret. Animadverterat solere Yolandam non illibenter exornari. Vestem ergò pretiosam, & mundum muliebrem auro & gemmis & margaritis ingentibus renitentem, fascias acupictas, serta, fibulas gemmatas, in conspectum profert. Emicabat è gemmis auro inclusis mirus fulgor. Ac tum mater: En filia mea, en aspice, quàm te amem. Quod mihi optimum atque pretiosissimum, en tibi adfero. Ades mea nata; vide quid horum arrideat. Ad hæc puella sapiens: domina mater, omitte, te quæso, omitte ista. Tolle fascias istas atque tenias, tólle serta atque monilia. Nam virum ego posthac, imò ne ornatum quidem ullum concupisco. Tam brevis tamque acris filiæ responsio, etsi haud modicè vulneravit matris animum, dissimulabat tamen, ceu ioco ista dicta essent. Confestim tabellarium mittit, qui Waltherum Meisenburgium accersat. Is [seu Treviris, seu alibi in viciniâ degeret (neque enim id traditum est)] ad Margaritam properat, gratus hospes. Fortè sublatâ mensâ, cœpit ei Margarita narrare, quo pacto,

cto, deliberatione nuper habitâ cum amicis suis atque parentibus, in id discesserint, ut filiæ Yolandæ maritum darent; atque huic iam etiam appromissam. Hîc Waltherus vir insigni prudentiâ, gratulari, feliciter atque ex voto actum esse illum conventum, multis super eâ re additis, donec tandem ad Yolandam, (quæ maximè ei cordi erat) devenit oratio. Ac tum ita infit: honore te, domina, multisque sanè bonis divina manus cumulavit. At, te amabo, quam tu referes gratiam? Filia tibi præter Yolandam alia est. Hanc matrimonio locare potes. At Yolanda si Sanctimonialis esse desiderat, hoc tu ut approbes, magnoperè auctor tibi sum; nisi fortasse mavis Deum irasci tibi, ceu ingratæ nec attendenti tot beneficia sua. Stetit hic velut abruptus sermo, nisi quod Margarita cras se peccata suá Walthero confiteri velle, indicavit. Atque ita factum. Secundùm confessionem, mox Yolanda in tenui leviqne veste tacitè sese infert. Orsa ibi magno animo loqui: Tempus, inquit, tempus est liti huic imponere finem. Vis tu, ô mater, ut viro nubam: at ego omnes aversata viros, Deo me dicavi, vovique castam perpetuò vitam degere. Tu, per Deum te obtestor, ne adverseris. Tum mater: an tu ista seriò, Yolanda, an non magis per iocum? Illa; extrà iocum tibi loquor, mea mater; nec virum volo; à qua voluntate non me dimovebit ullus amor, neque revellet dolor. Et nunc adeò me totam Deo eiusque Matri volens

lens lubensque trado. Quidquid in me, eis sine dolo malo fraudeque dico, dedico, meque iam in hoc vestigio huiusce voti vinculis nunquam solvendis illigo. Huius rei, te, mater, te, Walthere, testes, per Deum, appello. Cumque hoc dicto mox antè Waltherum in crucis formam composito corpore, in terram prostrata concidit. Mater humi iacentem ante se videns, hoc spectaculo mirum in modum perturbata, concepit incredibilem animo dolorem, multis perfusa lacrymis. Nec minus Walthero, metu simul ac dolore perculso, manabat ex oculis uber fletus. Ita eis per silentium plorantibus, & aliquantulùm considentibus, iterùm Yolanda: Miserere filiæ, mater, & solare temet. Faciendum est quod statui. Deo me devotam nihil ei unquam eripiet, non mors ipsa. Terrenis me liberare vinculis nexuque viri, hoc scito, mater, hoc scito, deliberatum, statutum, fixumque mihi. Ista proloquentem Waltherus confestim humo sustulit, & ad matrem conversus, quam maximè blandâ oratione eam est solatus. Ipsa ubi nonnihil collegit animum, in interius conclave sola concessit. Ibi mœrens & afflicta frena laxavit dolori, multam vim profundens ardentium lacrymarum.

Yolanda interim non cessare, non remittere animos. Matrem insequitur, atque antè pedes eius supplex provolvitur. Sed iubet considere mater. Ac tum: dic, obsecro, dic filia, quo pacto huc deventum, ut me ita repentè destituas?

Quis tibi subitò auctor, vt hoc genus vitæ amplectaris? Quâ causâ absque me aliena sectaris consilia? Contrà Yolanda: Si tuâ pace licet, ô mater, cuncta hæc perlibenter edocebo. Hanc quam gero mentem sacræ me dedendi vitæ, iam puellula concepi. Sed tùm pueribus annis prohibita, silentio pressi vota, alieno subiecta arbitrio. At ubi nunc maturior successit ætas, tempus advenisse reor, quo ex voto rebus terrenis me expediam. Hîc si tua me gratia destituit, quis erit alter, cuius favore sublever? Tum mater: Ergò me miseram deseres, filia? An quidquam à me tibi illatum unquam mali? Memoriâ repete vitam annosque tuos præteritos. Ut te in delicijs semper habui! Ut per summum amorem educavi! Tu omnis mei gaudij modus eras atque ratio. Ut te hilarem lætamque cernebam, perindè lætabar ego. Quid memorem vestimenta bombycina? Quid in ornatu cætero aurum? Horumne quidquam aliquando tibi defuit? Una erat nostrum ambarum voluntas; nec concupiscere tu quidquam, quàm ego dare, promptior. Quæ nunc mea merces? Si piget rependere gratiam, saltem parce matri, quæ num te ullâ re unquam læserit, tu ipsa iudex esto. Quæso, collige te parumper, & tandem intellige, hâc discessione tuâ ad mortem me adigi. Has commoti turbidique pectoris querelas, ea comitabatur lacrymarum còpia, ut Yolandæ quoque flendum fuerit. Erat enim ei mitis indoles & facilis. Attamen fortis atque constans

constans animi; Vera, inquit, commemorasti, nec ullâ vel minimâ re à te læsam me unquam, palam confiteor, ô optima mater! Sic enim te nunc libens compello, quando haud aliam te unquam experta sum, quam propitiam, benignam, benevolam, & quod dixi, optimam semper matrem. Quibus rebus, quam ego non possum, Christum, eiusque Sanctissimam Genitricem oro, quæsoque, ut pro me rependant gratiam. At tu, quæ tot rebus, te mihi bonam probasti matrem, nunc obsecro auge titulum: Iuva, si quà potes, ut ad cupita perveniam, & quæ me semel huic miseræ vitæ partu edidisti, nunc Deo cœloque pare.
Mœsta admodum eâ filiæ constantiâ mater, iterùm percunctari instituit, ediceret sibi tandem, decreta illa sua deserendæ matris & ineundi cœnobij, num ita fixa stabilitaque sint, ut mutari aut revocari nequeant? Ita fixa esse, ita stabilita, ait Yolanda. Ad summum, utcumque eveniat, viro se mortali numquam sanè nupturam. Deum, non alium, se elegisse sponsum. Mater ubi frustrà se esse intellexit, cogitabunda, quid incœptaret, ad artes sese convertit. Simulat accedere se filiæ voluntati. Benè est, inquit. Quandò in eo stat immota mens tua, ut Sanctimoniabus adscribâre; huc ego lubens volensque conferam operam. Yolanda rata, matrem vera dicere, efferri lætitiâ.
Mater interim citis equis sacerdotem, cui peccata confiteri, cuiusque consilio multùm uti solebat

 bat

bat, acciri iubet. Nec moratus ille, adfuit. Ei Margarita animi ſui ſecreta aperuit; cumque ad filiam ſermo deveniſſet, inſtitit cum lacrymis orare, ut exploraret funditusque ſcrutaretur filiæ mentem. Mox & Yolanda peccata ſua confeſſa eſt, quidque haberet in animo, intrepidè fortiterque expoſuit. Ille perpenſa tam inſigni Yolandæ conſtantia, nec mutari poſſe, quod conſtituerat, auctor eſt magnoperè matri, ut ſineret filiam Sanctimonialibus ſe iungere. Mater id conſilium permoleſtè ferens, doluit hanc perditam operam.

CAPVT V.

Reijcit patrem Franciſcanum à matre ſubmiſſum. Mater aperit marito, filio Friderico, alijſque, Yolandæ conſilia. Fridericus Sororem fruſtrà aggreditur. Mater artificiosè ab eâ impetrat, ut diſſimulet pia animi decreta. Yolanda cum Walthero & Virginibus MARIÆ Vallis clam agit per nuntios.

VEnit fortè Viennam ex D. Franciſci familia Sacerdos quidam, Margaritæ perfamiliaris, idemque eius, uti & Yolandæ quondam conſcientiæ arbiter. Margarita, ceu aliam nacta machinam, quam filiæ expugnandæ adhiberet, obſe-

obſecrat magnoperè, ut cum Yolanda agat, frangatque durum illud puellæ pectus. Is Yolandam ſolam ſine arbitris, omnibus animi viribus aggreſſus, mirari ſe ait, quid ad ea cœpta eam impulerit? Hæccine ego unquam à te exſpectaſſem, ut me contempto, aliena ſequerêre conſilia? Enim verò metuo, ne te cœpti pœniteat. Summa eſt MARIÆ Vallis rerum omnium egeſtas: multæ te ibi manent ærumnæ: Quæ mentis tuæ hebetudo, huc tam ardenti ſtudio ferri? Pertæſa horum Yolanda, vir bone, inquit, animum illum, ſi neſcis, geſſi à pueris. Nunc annis maturior & mei iuris, id ago, quo pacto me Deo dedam. Tu ſi invides (etſi id moleſtè fero) fiet tamen quod ſtatui. Contrà inſtare ille & ſcitari, ediceret ſibi tandem quo auctore cœnobium elegiſſet, in quod ordini ſuo non modo nullum eſſet imperium, ſed quocum ne quidem familiaris intercederet uſus? Mirari id ſe vehementer. Age, inquit, ubi nunc ad tuum illud cœnobium deveneris, nec copia mecum loquendi tibi erit, & tu mihi, & ego tibi eripiar, alterumque alter in perpetuum amiſerit, quid tunc lucri fecerimus? Mitte iſthæc, penitenda olim, meque audi. Ordinem D. Bernardi ſectare. Me iudice rectiùs longè feceris. Ita te adire, tibi adeſſe ego, tuque mihi poteris. Contrà Yolanda: Non ita res habet, pro ut tu memoras. Ordinem ego, quem prenſo, probè novi, cœnobiumque quod elegi, tam gratum eſt carumque mihi, ut aliud non op-

tet animus, quàm ut eô recipiar. Cuius damno bonove id fiat, nihil pensi habeo. Denique huic rei voto meam obstrinxi fidem, quam fallere mihi nefas. Ad hæc ille; Ut video, religione teneris. At ea te liberare perfacilè est, si modo me audis. Curabo ritè dissolvi votum; ita crimine noxaque vacabis. At Yolanda, Vir bone, inquit, inanis ista tua est oratio & levibus par ventis. Habet ordo noster viros sapientia & doctrina conspicuos, quorum usa consilijs falli profectò non possum. Iam, quod lingua Deo promisit, id decretum quoque præstare factis. Nec datam aliquando fidem, ullius rei metu fallam. His dictis repulsus hortator importunus, recessit, iratus, nihil se fecisse operæ. Nec minùs id grave matri. Itaque convocatis in consilium marito & filio [maiore natu Friderico] & quotquot potuit clientium, exposuit, quid Yolanda adornaret: Nolle eam virum; decrêsse inter Sanctimoniales Deo devotam vivere; in eo prorsus fixisse animum. Territis omnibus hâc oratione & mœrentibus, [Fredericus] præ cæteris sibi sumpsit sororem aggredi. Adit, & blando sermone exorsus, Cara soror, inquit, ne in malam partem accipias, si te pauca percunctor. Cui illa: Percunctare quàmvis; respondero libens. Tum [Fridericus.] Dic, ergò, te amabo, Statutumne tibi Sanctimonialem fieri? Statutum, ait illa, idque palàm profiteor. Pergere tum frater. Quis porrò tibi huius rei auctor? An tuâpte sponte huc ferris?
Dein-

indè, num tu ista seriò, an fictè atque simulatè? riò ago, inquit Yolanda. Quanquam non id o, sed Deus agit. Ita autem acta mutare, est ande nefas. Contrà [Fridericus.] At, nisi me llit opinio, alia te concitant. Piget tam diu te sidere innuptam. Id mœror ille tuus, & gravis udum animus, abundè probant. Nec nos non ntelligimus quid sit officij nostri. Maturum est ibi circumspicere virum, opibus & genere illustrem. Atque is iam etiam repertus est. Hic irâ mota Yolanda, & indignanti animo: Erras, inquit, frater, erras. Si virum ego concupiscerem, meliorem, profectò, sortita essem, quàm tu unquam nanciscêre coniugem. Maritum animi corporisque viribus aversor; proindè missum hunc facito sermonem, frater. Hæc loquentibus mater supervenit, abductamque Yolandam, doloso animo fucatisque verbis blandè adoritur. Ne te conturbent, inquit, dicta tui fratris, charissima filia. Quin & patri tuam mentem aperui; quod tuo commodo nostroque factum est. Patrem utique scire oportebat tua hæc consilia. Quî enim ego patre ignaro, solo ductu, auctoritateque mea, Sanctimonialibus te aggregem? Itaque bono animo es; opitulabor ego ipsa tibi, ne dubites. Tantùm absterge illam mentis ægritudinem, & dede te lætitiæ. Utcumque intùs afficiare animo, ita tamen vultum, ita mores ad hilaritatem compone, ut fallas omnium de te iudicia, opinantium te cœnobiticam prensare

 vitam,

vitam. Ubi deindè, quid clàm rei agamus, nemo erit, qui animadvertat, tunc votis obſecundavero tuis. Læta hâc matris oratione Yolanda, nec odorata dolum, curis deindè frena laxare, pſallere, choreas agere, ſed per ſimulationem; quippè ægra ſemper animi & de vitâ piè inſtituendâ ſollicita. Undè ſæpè mœror, maximè ſoli. Ita in contraria, gaudio ficto, verâque triſtitiâ diſtractam, ſubijt grave tædium; & hinc non parum increſcente malo, quod ſola ſecum iſta concoquere deberet.

Cæterùm in puellaribus ludis atque iocis parem ſibi gratiâ nullam habebat. Quidquid in eo genere incœptaret, belliſſimè cedebat. Diceres abſque ea emori omne gaudium, cum ea reviviſcere. Urbanitas antè omnia prorſus ſingularis, & ſuprà omnem laudem. Inter hæc tamen recti tenax, & quamvis aperta lætitiæ, clauſa tamen crimini. Artibus quoque virgo ingenioſa virtutem intendebat. Si pſallendo agendæ choreæ, id genus cantilenarum depromebat, quod curſum concitatum, ſaltumque vehementem poſceret. Ita fatigató protinus corpuſculo, & plectebat ipſa ſeſe, & choreæ citiùs eripiebat. His cæteriſque rebus eſſe in amoribus omnium, quanquam id ipſa nollet. Vulgò etiam credere omnes, depoſuiſſe eam ſanctioris vitæ conſilia. Sed longè ſecus erat. Ludicris intereſſe coacta, multas antè fundebat lacrymas; poſt ioca, ipſâ ſimulatione tædioſâ, redibat ad fletum. Interim cum

matre

matre ſæpè expoſtulabat, rogans, ut finem his rebus daret. Hæc flens, ſuppliceſque iungens manus, identidem miſerabili prece uſque ad moleſtiam orabat. At nacta latebras & ſecretum, litteras dabat ad patres Prædicatores. Erant litteræ plenæ querelarum, teſteſque anxij & afflicti animi. Waltherus ſepè reſcribebat conſolatorias. Ipſe etiam, cum data opportunitas, viſebat & coram ſolabatur, magno Yolandæ malorum levamine.

Quin antiſtita virginum MARIÆ Vallis litteris nuntiabat, magno ſe ſuaſque ſodales teneri Yolandæ deſiderio; quibus Yolanda per noctis ſecreta reſcribebat ſuâ manu, nunciabatque deſiderium & ipſa ſuum, & ex deſiderio cæteriſque hâc in re adverſis, ſummum animi dolorem; nec eò tamen dimoveri ſe de conſtantiâ. Contrà, optare unicè, omnibus ſe dicare ancillam. His nocturnis litteris crebras diuturnaſque iungebat inter comprecandum vigilias. Quorum omnium nemo quidquam crederet, imò ne ſuſpicaretur quidem, qui de die lætam, canentem, tripudiantem cerneret. Ita ſimulare porrò neceſſe erat, quod obſervaretur undique per ſubornatas à matre cuſtodias, in id invigilantes, ne Yolanda ad patres Prædicatores litteras daret, aut nuntia mitteret, cum ijſque ſermonem miſceret. Si quid horum deprehenſum, reſciebat per cuſtodias continuò mater.

CAPVT VI.

Yolanda per astum Prædicatores Viennæ alloquitur. Hymana Salsiniensis & Aleida S. Walburgis Abbatissa, eius cognatæ, eam ad se conantur allicere. Margarita Yolandæ mater Luciliburgi Comitissam invisit, & in reditu MARIÆ Vallem adit, & loci miseriâ graviter offenditur. Inde monasterij Eifliæ cum marito & Yolandâ Conradum Archiepiscopum Coloniensem convenit. Is Yolandam acerbè reprehendit.

FOrtè contigit ut Viennam duo Prædicatorij ordinis Patres venirent. Yolanda cum præ custodiâ neque locum neque tempus nancisci posset secretò sine arbitris alloquendi hospites, arte utendum rata, iussit adferri latrunculorum, seu *Schachorum*, quos vocant, tabulam unà cum calculis, rogavitque hospitum alterum, doceret se calculos ex arte movere; moxque cœpit ipsa calculos primùm huc atque illuc ducere. Hospes non hebetis animi vir, animadvertit, cupere Yolandam sibi loqui. Itaque, etsi subtimidè, ad tabulam proprius accedit, iuvatque locandis suo ordine calculis. Protinùs consedêre ambo, circumstante spectantium virginum atque matrona-rum

m coronâ. Hic Yolanda tacitè hospitem commonet, doceat se. Ille circumspiciens, ut vidit ectatricum turbam: Hic calculus, inquit, ita ovendus est, sic ille. Ipsa interim lætanter ea discere simulabat, donec spectatricibus sensim lapsis, & cum hospitum altero colloquentibus, olanda collusori suo furtim indicat, esse, quod clàm cupiat. Nec mora cum tabulâ secedunt. ic Yolanda omnem animi statum hospiti aperit, inobservata nimirum, nec audita, nisi quod ucere & reducere calculos amicæ atque custodes rnerent. Ita egregiè eis illusum, datumque 'olandæ, quantum vellet, hospitem alloquendi atium. Nec antè deposita tabula, quam Yoında colloquendo exsatiata est.

Inter hæc procedere tempus. Et quanquam gebantur satis domi Yolandæ consilia, fama taien foras ea extulit. [Erant Conrado Hochstaano Archiepiscopo Coloniæ, sorores duæ, Hyıana & Aleida, Antistites ambæ cœnobiorum). Bernardi, Hymana, ut dixi suprà, Salsiniens, Aleida ad D. Walburgis, erantque ambæ 'olandæ cognatæ, ex Mathildâ Viennensi, mare. Hæ compertis Yolandæ consilijs, haud cuntatæ, Bellacostam approperarunt. [est Bellaosta vetus arx Prumiæ propinqua, Bellacostioum equitum prisca patriaque sedes, condita à omitibus Viennensibus, à quibus Bellacostani raxêre originem, ut in loco dicam. Nunc Belacostam Viennæ comes Henricus tenebat.] Hy-

mana porrò & Aleida eum prætenderant itineri suo titulum, ut Bellacostâ Viennam adeuntes, ibi amicos atque cognatos inviserent. Sed re ipsâ in id venerant, ut Yolandæ, si fortuna adesset, consilia disturbarent, virgines facundæ, & quarum verbis inerat gratia. Nec mora Bellacostâ Viennam se ad Yolandam conferunt. Illa perurbane accepit cognatas. Peracto salutationis officio, altera Antistitum, Ad nos, inquit, famâ perlatum est, versam te pœnitus ad amplectendum sacrum vitæ genus. Quæso te, quî huc deventum? Ergò nobis desertis, profugis ad homines, quorum societas indigna nostro tuoque generi? Non vides, saltem Conradum Archiepiscopum fratrem nostrum, cognatum tuum, non passurum, ut tàm stultè cœpta perficias? Nos sanè [cognatas tuas, easdemque cœnobiorum Antistitas] oportebat talium consiliorum tuorum gravari curâ. Nobis utique perfacilè erat eiusmodi te cœnobio tradere, ubi sinè labe nostræ originis, vitam cum honore traduceres. Hoc scito, quodlibet aliud, quam nostrum vitæ institutum, si nobis inconsultis susceperis, deseremus illicò te, nos & frater noster, pater tuus & mater, omnesque universim parentes. Ad hæc Yolanda. Ita est, domina, palàm profiteor, velle me Sanctimonialem fieri. Quarum autem Sanctimonialium ordinem mihi præstitui, hunc confido Deo auspice bono futurum mihi. Siquidem hoc statui semel, ut totam me Deo dedam. Quo ipse ducit, huc erroris secura,

ıra, ſequor; quod ipſi placitum, hoc & mihi. is reiectæ Antiſtitæ, liberaque ab importunis ɔrtatricibus Yolanda, diſceſſit.

[Per hæc tempora Ermeſinda Comitiſſa Luliburgenſis ægrotans teſtamentum condiderat, variis noſtratibus viciniſque cœnobiis LX. ſolos legaverat; pari dono cœnobium quoque ιARIAE Vallis proſecuta, inter executores teſtaentarios primo loco conſtituto Walthero de randenburgh, equeſtri apud nos Brandeburgioım ſtirpe oriundo, & ordini D. Dominici adripto. Utriuſque in ephemeridibus MARIAE allis exſtat memoria. Waltheri quidem talis.

VII. *Cal. Februarias, obijt frater VValtherus, Prædicator de Brandenburgh.*

De Ermeſindâ verò, ita ſcriptum, poſtridiè ıàm teſtamentum condiderat.

Idibus Februarij. Obijt D. Ermeſindis Comitiſſa Lucemırgenſis, quæ nobis multa bona fecit. eâ quippè proınte conditum eſt MARIAE Vallis cœnobium, t infrà memorabo.

Pro Ermeſindâ autem mortuâ, rerum nunc otiebatur Henricus eius filius, cognomento ılondellus & Magnus, cui iam ab anno MCCXL. xor erat Margarita, Theobaldi comitis Barɛnſis filia.] Hæc Virum ex equeſtri ordine /iennam miſit cum litteris, qui Margaritam ro;aret, ut Luciliburgum ad dominam ſuam uteum gerentem venire ne gravaretur. Læta eo ıuntio Yolanda ſperabat ſe matri comitem ituram,

ram, monasteriumque MARIAE Vallis, dissitum leucis à Viennâ quatuor, à Luciliburgo duabus, in itinere visuram. Sed rebus id non sinentibus, spe suâ frustrata est. Profecta ergò sola Luciliburgum Margarita, comiter accepta est. Ubi discedendum fuit, conventum est in diem, quo Luciliburgum Margarita rediret, simul atque ægrotare puerperam comperisset. Hinc valedicens, Viennam repetijt, sed in transitu adito MARIAE Vallis cœnobio. Siquidem cupido incesserat, conditionem tandem statumque eius intueri loci. Sanctimoniales, cognito Margaritæ adventu, lætantes, prout tantâ hospite dignum erat, eam accipiunt. Ipsa cum matronis circumspicere editas rupes, profundam vallem, circuire domum atque habitacula; lustrare omnia. Erant adhuc cuncta tenuia, tectum vile genistis implexum, muri fornicesque humiles. Mœror ex ea re primùm Margaritæ, contemplanti undique tantam egestatem atquè inopiam. Tædium deindè, & ex contemptu, æque loci ac Sanctimonialium earumque instituti detestatio. Ita ægra animi discedit.

Ubi Viennam tenuit, maledicta in Yolandam congerit, obiurgat, stomachatur, exagitat: exprobrat solitudinem, squallorem, tenuitatem MARIAE Vallis: intus omnia nuda, Sanctimoniales rerum egenas, foris horridas immanesque silvas. Ferenda hæc Yolandæ, gravia quamvis atque molesta.

Ubi

Ubi deindè satis debachata est mater, tum
'olanda insigni modestiâ: Domina, si pace ve-
iaque tua locum adire coramque intueri liceret,
tcumque deindè res cesserit, solarer ego facilè
iemet. Mox illa, Ibis, profectò, ibis; adero
ux ego ipsa tibi, ut coram videas, quem tantō-
erè concupîsti, silvestrem, vastum, desertum-
ue locum. Quæris ibi, crede mihi, nihil præter
igens tuum meumque dedecus; nec aliud ibi lu-
ri feceris, quàm generis ignominiam nostri.
Aulta deindè in cœnobij egestatem atque indi-
entiam profudit: nihilo tamen secius constabat
'olandæ inconcussa voluntas, nisi quod dolebat
atam matrem.

Post hæc venit à Conrado Coloniensi Archi-
piscopo nuntius, qui Henricum & Margaritam
gareret, vellent unà cum liberis ad condictum
iem adesse in oppido Monasterij Eifliæ. Profe-
us ergò cum coniuge, primoribusque clientium,
iultisque ex equestri ordine viris Henricus, in
nsilium cum Archi-Episcopo congreditur,
'olanda interim residente cum iuvenculis. Post-
iam datus consilio finis, Henricus cum Marga-
ta ad Conradum adit, atque ita loquitur. Do-
ine & consanguinee, molestias incommodaque
avia nostra tibi per questus exponere necesse
t. Filia nostra Yolanda omni nos gaudio sola-
oque deturbat. Ait propalam, nolle se virum.
lîc Conradus; Quid igitur? Tum comes, Hoc,
quæso, ipse per te eam interroga: nam nostrum
nemo

nemo aliud quidquam ab eâ extundimus. Tu si ad meliorem mentem eam reducere potes, rem feceris profectò perutilem, pergratamque nobis. Iussit mox coram se adesse Yolandam Archi-Episcopus. Ac tum commotus irâ, dominam etiam per indignationem compellans: Quid agis? Quid moliris? Quis eo te adduxit audaciæ, ut præberes de te querendi materiam? Dicam, inquit illa, ô Domine, secretò sine arbitris, si per te licet. Cui ille, non licet. Edic protinùs, & hic palàm coram parentibus eloquere, quid in animo geras. Hîc Yolanda blandè, Ne odiosa, quæso, tibi sim, carissime Domine; sola tibi loqui percupio. Cessit tandem roganti Archi-Episcopus, cum eâque non nihil in latus abit. Tum Yolanda manibus suppliciter iunctis, pavida exponit, quid gravet animum, nullâ re celatâ. At miseram Archi-Episcopus obiurgat; & quidquid ipsa blandiretur, quidquid oraret, frustrà erat. Durus ille atque inflexibilis ad preces, auxilium atque consilium iuxtà negabat, manantibus ubertim Yolandæ Lacrymis. Firma tamen inter hæc & constans animi recessit.

CAP. VII.

CAPUT VII.

argarita Luciliburgum revisit. In itinere Yolandam ducit ad MARIÆ Vallem. Huius origo. Yolanda furtim in sanctimonialem attondetur, & vestitur, undè incredibiles turbæ. Lucta & certamen matris cum filiâ.

Ubijt haud multò post Margaritam desiderium adeundæ iterùm Comitissæ Luciliburnsis. Comitari iussa Yolanda; quæ ut pro dig-:ate compareret, convectus atque in sarcinam ditus omnis eius ornatus atque cultus, vittæ, ta, vestis pretiosa & elegans. Consederat iam curru Yolanda, haud pensi habens quid domi linqueret, nec de reditu sollicita, oblita iam m bonorum, parentum, & patriæ. Risu etiam vehiculo considens atque iocis urbanè testatur gaudium, & cogitatione tota in exile, quod ncupierat monasterium, erat defixa. Foris & speciem, vitæ mortalium atque hilaritati se :ommodabat: at mente animoque vanæ clau-ætitiæ, & nulli adeunda crimini. Iam ibant iciter, multoque confecto itinere, haud pro- monasterio MARIAE Vallis tendebant. Ibi n Yolanda matrem obsecrat, ut se ad cœno-.m ducat ex diverticulo; nec moraturam. Cui

mater, deducam equidem, si nihil ibi stultè te facturam spoponderis. Faxo ut monasterium inops atque rerum omnium egenum, & miserrimi loci habitum, cuius tanto ardes desiderio, contemplêre. Ad hæc Yolanda intrepidè: Scito, mater, certaque sis, nihil moliri me mali. Tum mater: Id, filia, sanctè firmiterque servabis? Servabo, inquit, Yolanda. Neque enim factum quidquam à me unquam perversi, cuiusque pœniteat. Quid multa? Fuit obtemperatum voluntati virginis. Agitur currus ad monasterium, lætante mirum in modum Yolanda.

[Locus exigit, ut de ortu cœnobij Mariae Vallis hîc disseram. Est infrà Luciliburgum vicus ad Alisontiam luculentus Marisch. Eum anno DCCCLIII. Erkanfrida, Nithaldi Comitis relicta vidua, cœnobio D. Maximini ad Treviros donavit. Habet is vicus parœciam latissimis finibus diffusam. Intrà hos fines Yscha fluvius, haud longè Orolauno exoriens, arcem veterem alluit Holfeltziam. Huic arci subiicitur vallis, medias inter silvas atque rupes depressa, permeante tacitè Yschâ. Hîc inventum in arbore saxeum D. Virginis simulacrum, cœnobio Sanctimonialium Mariae Vallis initium dedit. Rem ita gestam tradunt. Theodoricus ex gente Marischia vir nobilis, Dapifer Ermesindis Comitissæ Luciliburgensis, haud procul ab ea arbore villulam in monte habebat, ubi animi causa rusticari sæpè solebat. Contigit ut in arbore, quam dixi, Simulachrum

lachrum illud D. Virginis inveniret. Eâ re lætus, simulacrum arbori exemptum in villulam transfert, ibi cultum ei adhibiturus. Sed postridiè, divinitùs arbori restituta imago, non apparuit. Theodoricus, seu furto, seu alio casu id factum ratus, iterùm imaginem villulæ infert. Sed posterâ die inventum, illam remigrâsse suam in arborem. Tertiò igitur in villam defertur. Sed & tùm quoque primam, ut antè, sedem repetijt. His prodigijs intellexit tandem Theodoricus, velle D. Virginem in valle, non in monte, coli imaginem suam. Itaque ei ædiculam suscitat. Crescente ex hinc veneratione prodigiosæ imaginis, statuit Theodoricus cœnobium ibi virginum condere, consentiente in id Elisâ coniuge. Atque ut intelligeres divinitùs hanc ei datam mentem, per id ipsum tempus, quo cœpit de cœnobio illo virginibus suscitando consilium, providus futurorum Deus, virginem produxit, quæ id olim cœnobium sapientissimè iuxtà ac sanctissimè gubernaret, & à parvis initijs ad maximum splendorem eveheret, Yolandam. Hæc enim, ut principio huius libri dictum, edita est in lucem sub annum MCCXXXI. quo eodem anno Kalendis Martijs Theodoricus ab Henrico, ex nobili Brachianâ provinciæ nostræ gente oriundo D. Maximini Abbate, fundum suis terminis definitũ emit, in quo cœnobium conderet. Dehinc excitæ Sanctimoniales D. Dominici, cœptumque strui & disciplinâ institui exile cœnobium, dirigente

opus Ioanne, eiusdem ordinis Theologiæ in Trevirensi monasterio professore. Cumque subinde, ceu quodam piæ liberalitatis certamine, viri nobiles exurgenti cœnobio varia bona donassent, tandem anno MCCXXXVII. Ermesindis Comitissa Luciliburgensis cum filio Henrico, emptionem fundi ratam habuit, & iuri suo, si quod in eum fundum haberet, liberali causâ cessit, & res possessionesque hactenus cœnobio datas, atque imposterùm dandas, tabulis publicis probavit. Accessêre aliæ tabulæ Theodorici eo nomine secundi Trevirorum Archi-Episcopi, editæ anno MCCXXXVIII. quibus antè dicta omnia rata habita, & cœnobio privilegia amplissima collata.

Porrò de Theodorico Dapifero eiusque coniuge Elisâ, & Ioanne Prædicatore (Theodorici fortasse filio) primis MARIAE Vallis fundatoribus, ità tabulæ mortuales Vallis S. MARIAE.

XV. *Kal. Iunij. obijt Theodoricus, Fundator huius monasterij, qui dedit nobis horreum in monte cum omnibus suis appendicijs. Hâc die habebit conventus ad pitantiam* XX. *Solidos de horreo prædicto.*

Est id horreum ea villula, quò Theodoricus D. Virginis statuam ex valle transtulerat, duratque nunc eodem loco haud procul à via, quà est iter ex MARIAE Valle Luciliburgum proficiscentibus.

X. *Cal. Ianuarij obijt Elisa de Mersch, fundatrix huius loci.*

XV. *Cal Iunij, obijt frater Ioannes Prædicator, Lector*

ctor Trevirensis, primus monasterij huius fundator.

Hæc origo exilis tum cœnobij, ad quod Margarita & Yolanda tendebant, ut dicere cœperam. Et erat annus MCCXLV.] Fortè ità Deus providit, ut Waltherus Meisenburgius ibi tum adesset. Sanctimoniales comperto Margaritæ adventu, uno agmine omnes processêre obviam, portisque patentibus lætæ venientem exceperunt. Ingreditur Yolanda plena lætitiæ. Itum ad locum, quem *capitulum* more monastico dicunt. Peractis salutationum officiis, consedêre. Hic Yolanda tacitè, atque ita, ut nec mater animadverteret, Sanctimoniales rogat, ut ducant se spectatum, quo pacto conclusæ degant. Et quamvis eæ per se satis ad petita promptæ erant, accessit tamen omnium votis ultroneum Margaritæ imperium, iubentis Yolandam ire lusum. Ne quid tamen sola inceptaret, additæ ei sunt matronæ aliquot, quæ eam observarent. At divina decreta quis interturbet? Suggessit repentè Deus Yolandæ consilium, quo matris astum alio astu eluderet: Conversa ad matronas comites, State hic, tantisper, inquit. Et cum hoc dicto per speciem levandi alvum (nam & hoc Scriptor rerum eius tradidit) conclave quoddam patens ingreditur, moxque occludit fores, atque ita observantium custodiæ se eripit. Nec mora maius aliud ostium continúò recluditur. Hîc læta porrò pergere Yolanda, donec ventum ad culinam. Ibi cum solam se cerneret, allocuta Sanctimoniales: So-

rores, inquit, iam meæ, cariſſimæ meæ ſorores, facite, per Chriſtum, quod vos rogo, & ſi rogâſſe parum eſt, impero. Proferte actutum ſacram veſtri ordinis veſtem atque forfices. Nec moras nectite. In magno lucro eſt vel breve momentum. Properate. Hæc illa dies eſt, quâ aut moriendum mihi, aut ingrediendus ſacer Ordo veſter. Quod factum oportet, id facio. Aderant ad manum forfices, & parata mox ſacra veſtis. Ipſa haud cunctanter, ultrò laxatis ſolutiſque crinibus, Sanctimonialium more adornari ſe iubet. Fluebant in terram flavi & criſpati delicatè capilli. Hos protinùs reſecari imperat. Grave id Sanctimonialibus; nec auſa ulla adhibere manum. Raptis itaque forficibus, caput ipſa ſuum invadit, cœpitque non tam tondere, aut reſecare, quàm truncare crines; fœdeque deturpare. Sed accurrentes mox Sanctimoniales, tondendo utcumque iuvant. Tum Yolanda variam atque multicolorem veſtem, & ſyndones, unà cum faſcijs, & bombycino cultu, abjicit, & caput primò cœnobiticè componit; tum veſtem albam induit, ſecura rerum omnium, ſeque permittens cuicumque eventui. His peractis ad templi pronaon, quam *chorum* vocant, ceu ad aſylum, confugiens, ibi antè aram in preces ſe proſternit. Mox fama eius rei pervadit cœnobium. Sanctimoniales ergò undique omnes advolant ſalutatum novam Chriſti ſponſam. Concinitur hymnus ſancto Spiritui. Atque ut lætantes alte clarè-

que

que vocem extulerant, pervenit ſonus ad conſidentem adhuc cum Walthero Margaritam. Quęrit illa ex Walthero, quid incitatus ille cantus portendat? Ipſe ſuſpicatus quod erat, obticuit. Obticuit & illa ſtupenti ſimilis, & admirans quid rei eſſet, quod omnes Sanctimoniales ſe deſtituiſſent, atque ad *chorum* tam cupidè ſubitò deproperâſſent: ſubit continuò ſollicitudinem mœror, iſque eò magis increſcere, quò quid rei gereretur, magis comperiebat; ex mœrore, mox vehemens ira. Ardens ergò ſine more, modoque, ad *chorum* proſilit; ubi cum filiam vidit, turbata animo in eam involat, crinibuſque prehendit. Cernit ecce attonſum caput. Tum verò matronalis oblita modeſtiæ, furibunda manus filiæ injicit, raptat, viſque extrahere loco conata, vociferatur: Perge! Fruſtrà hæc moliris! Migrandum hinc! Mè ſequere! Age! Ne necte moras! Faciendum eſt! Contrà Yolanda, prolapſa ad matris pedes, manibus iunctis, Per Deum te rogo, mater, compeſce tantum illum iratæ mentis impetum. Elegi hîc vitam degere. Hîc utique manendum mihi. At mater iræ immodica: Elegiſti enimverò? Atqui etiamſi iuraſſes, è veſtigio tamen abeundum hinc. Hæc inclamans detrahit, quidquid in capite Yolandæ cœnobitici cultus. Nec ſatis id amenti mulieri. Divellit à corpore pallium, quo amiciebatur. Luctari multoque niſu conari movere loco filiam. At illa ſumptis animis, contrà reniti, neque impulſu,

neque verberibus, neque minis, quæ intentabantur, devicta. Insurgere maiori conatu mater. Filiam vi connixa in terram decutit. Ita Yolanda maternis elapsa manibus, properè ad monasterium fugâ se proripit. Aderat commodè ad ianuam præfecta penus. Hæc momentò occlusis arctè foribus, fugientem in tuto locat, perculsis interim pavidèque trepidantibus Sanctimonialibus, & suprà modum sollicitis, quò res ista vergeret.

Mater mirè indignata elapsam ita filiam, clamore omnia implet. Mox viri equestres omnes, quotquot aderant, unà cum famulis, irâ ardentes, incurrunt in ostium: crebris pulsibus concutiunt; sed frustrà. Margarita ubi videt nihil effici; sublato ingenti clamore maiora evocat auxilia. Iubet ut famuli muros conscendant. Dictum factum. Præfecta penus, quæ intus observabat ad ostium, ubi videt desilientes in gramina seu horti, seu interioris areæ, famulos, metu territa pandit fores. Irrumpunt turmatim omnes, omnia percursant, perlustrant omnia, nullum angulum inexcussum relinquunt. Sed latens Yolanda secreto abdita loco, quærentium diligentiam fefellit. Cernebat quidem venaticorum more canum huc atque illuc discurrentes ephœbos, ipsa interim inobservata, nec inventa ulli. Et trepida quamvis, & ingentis plena formidinis, obfirmabat tamen contrà adversa animum, parata ad mortem omnia pati. Hâc mente Deo Divæque

væque Virgini se atque monasterium intentâ prece commendabat. Nec cessare interim mater. Iactare manus, irâ magis atque magis inflammari. Porrò Waltherus cùm cerneret tam ingentem toto monasterio virorum nobilium famulorumque tumultum, malo occurrendum ratus, convocatis Sanctimonialibus cursim ad Margaritam properat. Pedibus eius supplices sese omnes advolvunt. Et quanquam ipsa eiusque senatus accedentes aversarentur, gratiam tamen veniamque flagitant. Sed nec gratiæ datur ullus, nec veniæ locus. Imperat Margarita effringi quidquid usquam clausum. Et verò famuli dominæ imperia iam ut plurimum anteverterant, summâ vi magnoque impetu patefactis omnibus. Iterant Sanctimoniales supplicia, pacemque etiam atque etiam rogant. Quibus Margarita irâ exæstuans: Cassas funditis in ventum preces. Non ut cæteræ matrum filiæ, talis mea; hanc quisquam mihi eripiat? Ite velociter. Adducite natam meam. Quid miseræ agerent? Unicum earum solatium, unicumque auxilium erat Waltherus. Is propius accedens: Domina, inquit, si mihi per te fas pauca loqui, certamini huic finem dabo. Fac, te obsecro, quod suadeo. Da filiæ tuæ fidem, ut liceat coram te tutò consistere. Conversus deinde ad Sanctimoniales: Et vobis auctor sum, ut Yolandam sub datâ fide producatis. Edicat illa porrò liberè, quid statutum habeat? Quod si hinc volet discedere, eat bonis avibus. At si hîc cum

neque verberibus, neque minis, quæ intentabantur, devicta. Insurgere maiori conatu mater. Filiam vi connixa in terram decutit. Ita Yolanda maternis elapsa manibus, properè ad monasterium fugâ se proripit. Aderat commodè ad ianuam præfecta penus. Hæc momentò occlusis arctè foribus, fugientem in tuto locat, perculsis interim pavidéque trepidantibus Sanctimonialibus, & suprà modum sollicitis, quò res ista vergeret.

Mater mirè indignata elapsam ita filiam, clamore omnia implet. Mox viri equestres omnes, quotquot aderant, unà cum famulis, irâ ardentes, incurrunt in ostium: crebris pulsibus concutiunt; sed frustrà. Margarita ubi videt nihil effici; sublato ingenti clamore maiora evocat auxilia. Iubet ut famuli muros conscendant. Dictum factum. Præfecta penus, quæ intus observabat ad ostium, ubi videt desilientes in gramina seu horti, seu interioris areæ, famulos, metu territa pandit fores. Irrumpunt turmatim omnes, omnia percursant, perlustrant omnia, nullum angulum inexcussum relinquunt. Sed latens Yolanda secreto abdita loco, quærentium diligentiam fefellit. Cernebat quidem venaticorum more canum huc atque illuc discurrentes ephœbos, ipsa interim inobservata, nec inventa ulli. Et trepida quamvis, & ingentis plena formidinis, obfirmabat tamen contrà adversa animum, parata ad mortem omnia pati. Hâc mente Deo Divæque

væque Virgini se atque monasterium intentâ prece commendabat. Nec cessare interim mater. Iactare manus, irâ magis atque magis inflammari. Porrò Waltherus cùm cerneret tam ingentem toto monasterio virorum nobilium famulorumque tumultum, malo occurrendum ratus, convocatis Sanctimonialibus cursim ad Margaritam properat. Pedibus eius supplices sese omnes advolvunt. Et quanquam ipsa eiusque senatus accedentes aversarentur, gratiam tamen veniamque flagitant. Sed nec gratiæ datur ullus, nec veniæ locus. Imperat Margarita effringi quidquid usquam clausum. Et verò famuli dominæ imperia iam ut plurimum anteverterant, summâ vi magnoque impetu patefactis omnibus. Iterant Sanctimoniales supplicia, pacemque etiam atque etiam rogant. Quibus Margarita irâ exæstuans: Cassas funditis in ventum preces. Non ut cæteræ matrum filiæ, talis mea; hanc quisquam mihi eripiat? Ite velociter. Adducite natam meam. Quid miseræ agerent? Unicum earum solatium, unicumque auxilium erat Waltherus. Is propius accedens: Domina, inquit, si mihi per te fas pauca loqui, certamini huic finem dabo. Fac, te obsecro, quod suadeo. Da filiæ tuæ fidem, ut liceat coram te tutò consistere. Conversus deinde ad Sanctimoniales: Et vobis auctor sum, ut Yolandam sub datâ fide producatis. Edicat illa porrò liberè, quid statutum habeat? Quod si hinc volet discedere, eat bonis avibus. At si hîc cum

Sanctimonialibus permanere mavelit, gratum id tibi, quæso, sit, Domina. Ad hæc Margarita vociferari: placere omninò conditionem: obtemperaturam se Waltheri consilio. Ergò Sanctimoniales brevi deliberatione habitâ, conditionem à Walthero latam & ipsæ accipiunt, etsi admodum invitæ. Ita sub labili fide producitur Yolanda.

Ipsa, simul atque in matris conspectum venit, supplices junctasque tendens manus, antè ejus pedes in genua provolvitur, &, Da veniam, inquit, per Deum te rogo, bona mater, da veniam. Pellat nunc iram maternus semper tuus in me animus. Quod cum Deo cœpi, hoc sine ut exequar. Volo antè omnia cum his permanere Sanctimonialibus. Sit hoc, sit, obsecro, gratum tibi, tenera mater mea. Sed teneritudinem omnem matris animo expulerat mixtus iræ vehemens dolor, & super hæc exosa filiæ oratio. Pro teneritudine furor, pectus exasperatum irrumpit. Rubere & ardere oculi, tremere labia, cor subsilire, perire funditus mulierum illa lenitas. Crines filiæ, ut antè dictum, malè attonsos vi corripit, manuique arctè circumvolvit. Yolanda ne contrà quidem hiscere. At mater ex rabie, virili pœnè concepto robore, omnibus connixa viribus filiam cœnobio extrahere conatur. Contrà validè illa resistere, adeò ut corpus ejus tenerum flecti curvarique haud absque gravi miseræ cruciatu cerneres. Is impetus erat trahentis Margaritæ! Quin & luctæ intermiscebat validos ictus. Cun-

ćta forti pacatoque animo tolerabat Yolanda, memor cruciatuum Christi eiusque Sponsæ D. Catharinæ. His armata exemplis, pugnabat ferendo patiendoque, cùm mater interim non cessaret, iam propellere, iam percutere. Nec erat qui certamini interponere se auderet. Stabant hinc Prædicatores ubertim flentes, indè Sanctimoniales dejectæ animis, magnis questibus Deum appellantes, multo lacrymarum imbre fluentibus præ dolore oculis. Hîc Waltherus, quando muliebri luctæ se inferre, viro haud decorum censebat, ad Sanctimoniales conversus; Quid ita consternatæ statis? Non cernitis sororem vestram hisce in angustijs vestræ opis egere? Quin vel agmine facto accurritis, miseramque iuvatis? Animos ea adhortatio dedit virginibus. Ergò earum nonnullæ, quibus plus virium, provolant, matremque à filiâ separantes, hanc certamini eripiunt. Sed cum Margarita crines filiæ semel prehensos arctissimè stringeret, nec dimitteret, remansit ei nobile scilicet spolium, cincinnus crinium radicitus evulsus. Ita liberatæ utcunque Yolandæ, sed etiamnum postratæ in genua, adest repentè ephœborum unus, obsecuturus voluntati Dominæ, & prehensam validè, ad portam, quâ patebat exitus, trahere conatur. Yolanda, nec eo temporis articulo immemor industriæ, sinit suo se pondere in terram labi, rata esse mulierem, quæ traheret. At ubi animadvertit ephœbum esse, plena animis. Tu mihi manum inijcis? Id
audes

audes tu, mortalium nequissime ? Hæc constanter, & gravi vocis sono increpans, contractâ in pugnum manu, valido ictu oculum adolescentis ferit. Is flens atque eiulans in fugam se conijcit. Hoc facinore Yolanda, velut comparatâ sibi roboris fortitudinisque famâ, facilè equidem deinceps violentas à se manus abstinuit. Ergo hoc certamine victrix monasterium ingreditur, comitante una Sanctimonialium pro custodiâ. Ibi secreto abdita loco, Deo se precibus commendat, parvi pendens quidquid eius causâ toleraverat.

At mater egressa in aream, quod re non poterat efficere, verbis ferocibus iactat, acerba quævis & omnem efferati animi sensum linguâ in miseras Sanctimoniales profundens. Reddendam sibi filiam, etsi contrà decertet, quidquid est usquam virorum atque mulierum. Darent eam protinùs in conspectum sibi. Velle se eam cernere. Id nî fiat, cœnobium se funditùs exusturam. Ergò rogatur, ut placeat ad cancellos accedere. Dandam ibi copiam alloquendæ filiæ; quæ mox eo quoque adducitur. Tum ei mater, per indignationem honorificè compellans; Eia, Domina mea, elige duorum alterum; aut mecum hinc proficiscere, aut quam mox flammis tradam te, Monasteriumque hoc tuum. Edic citò, utrùm mavelis. Yolanda ex securitate loci paulo iam audacior, Per meam fidem, inquit haud placet iniqua duabus partibus optio. Utrique renuncio. Nam ut hinc discedam, id me vivâ non fiet; ut cœno-

cœnobium hoc conflagret; id ægrè, profectò, conspexero. Quin potiùs, charissima mea mater, irasci desine, nec meâ causâ exitium minare hisce Virginibus. Nam quod ad me attinet, decretum mihi hîc persistere, quidquid eveniat.

Adstabat Margaritæ Sacellanus, homo liberi oris. Is ausus etiam miseræ Yolandæ illudere; matris exemplo Dominam invidiosè nuncupans, Iunior es, inquit, nec annis matura satis, ut absque matre hunc saltum desultes. Cui intrepidè Yolanda. Domine Sacellane, ea est ætas mea, ut probè intelligam esse voluntatis meæ me compotem. De reliquo, tu contice. Tui consilij haud mihi opus. Ad hæc irata mater: Ut garrire civiliter nosti? Nam ætas tua eo te sapientiæ necdum provexerat, ut talia dicta tuopte ingenio proferres. Contrà Yolanda: Scito mater, nihil me hîc didicisse, nisi quod bonum rectumque. Quod si animos spirat mea oratio, id à Deo mihi datum; cui etiam hâc de causâ æternùm hic me mancipare volo. Edico iterùm, ne nescias: Hîc volo vivere atque mori. Augeri hinc mirum in modum matris intemperiæ. Sed quid ageret? Intus erat tuto loco Yolanda, clathris ingentibus ferreis, duplici contextu saxo firmissimè hærentibus, conclusa. Itaque deiecta de spe adipiscendæ filiæ, indignans, Cessa, inquit, garrire. Satis hoc tandem verborum est. Exurge confestim, atque hinc à conspectu meo te proripe. Sed vide sis ut cras manè itineri te compares. Abeundum

eundum tibi mecum, nec vis ulla mihi te eripiet. Hæc fremens discedit. At Yolanda cum Sanctimonialibus in interiora domus se recipit.

CAPUT VIII.

Margarita conatur incendere cœnobium. Tendit Luciliburgum. Yolanda ritè in Sanctimonialem convestitur, & aspero victu pascitur læta.

SIc seiunctis matri & filiæ, diversus erat animi habitus. Yolanda, iræ oblita maternæ, alijs iam maioribusque succedentibus curis, in eo totam mentem animumque defixerat, quo pacto in cœnobio permaneret. Contrà mater omnia versare animo, quomodò eam indè deduceret. Tumultuatur, bacchatur, minas identidem horribiles iacit, ceu amens. At familiares veriti, ne mulier sui impotens exitiale aliquid auderet, memoresque denunciati monasterio, nî Yolanda redderetur, incendij, omnem ubique ignem per focos iniectâ aquâ extinguunt. Intereà nox ingruit, & matronis decubituris adfertur candela. Hanc continuò Margarita raptam stramini immittit, conceptasque parieti flammas injicit. Sed è vestigio accurrentes matronæ ubique elisêre flammas. Non exemptus tamen iræ ardor Margaritæ, quo per totam noctem agitata efferbuit.

Manè

Manè ubi diluxit, celeriter Luciliburgum proficiſcitur, & ibi [Henrico] Comiti dolorem ſuum, querelis apud eum depoſitis, impertitur. Is ei ſuam addicit operam: quâ re utcunque recreata, triduum ibidem permanet.

Inter hæc Yolanda, exiſtimans ſe iam è matris poteſtate ereptam, & præteritorum immemor malorum, tertio die à diſceſſu matris Antiſtitam adit, ſummiſſque precibus contendit, ut ſacro ſe habitu ritè conveſtiat. Planè ſibi decretum, in eius cœnobio vitam agere. Placuit is flagitandi ardor Antiſtiti; nec minus gratum id Prædicatoribus. At deterrebat omnes tenera virginis ætas. Contrà Yolanda obfirmare animum, & ad Antiſtitam, Ne dubites, inquit, Domina; ſum planè, quæ cuncta Ordinis veſtri probè perferam; &, ſi neſcis, ſupero iam annum ætatis decimum quintum. Cæteris de rebus nihil mihi curæ. Hîc quidem vivere & mori volo. Quod ſi ætas mea obſtat, fac operæ & temporis compendium, & quod olim præſtandum mihi, id tu nunc præſta. Itaque da velum, da habitum omnem ſacrum, te obteſtor. Tandem Sanctimoniales deliberatione habitâ Yolandæ aſſentiuntur. Ritè velatam & pallio indutam, deducunt ad *chorum*. Quò cum omnis familia confluxiſſet, ſacrificium celebrare apparant de B. Virgine, cantu, ut ſolet, intermixto. Simul cum cæteris alacriter concinere Yolanda, iam deſiderio edocta, quod ne dedicerat quidem. Ubi ſacrificium pera-

peractum, mensæ accumbitur. Erat cibus suprà quam putaverat Yolanda, admodum durus, fursuraceus panis, potus tenuis. Edebat tamen ipsa sapidè, facilè oblita deliciarum, quibus Viennæ in aulâ paternâ assueverat, Quippè dum ne è cœnobio cogeretur discedere, certa pati omnia aspera, ipsamque adeo mortem.

CAPUT IX.

Margarita Luciliburgo redit ad MARIÆ Vallem cum Senatu Comitis Luciliburgensis suisq; clientibus; inter quos Cuno de Rulandt, Theodorici frater. Yolanda partim vi, partim astu abducitur Luciliburgum; ubi à matre veste sacrâ spoliatur, & tandem Viennam per multa Ludibria reducitur.

INter hæc Luciliburgo rediens appropinquat Margarita, multâ comitante virorum equestrium atque nobilium familiarumque turbâ. Aderat quoque Senatus Comitis Luciliburgensis [constans hominibus summo loco natis. In tabulis quibusdam Tifferdinganis, novennio antè hæc tempora scriptis, nominantur *Edelinus de Meisenburch*, *Dominus Robinus de Asche*, *Dominus Vlricus de Berepere*, *D. Rudolfus de Vilario*, *D. Ægidius de Rodemacherd.* Inter clientes verò Margaritæ erat

erat Cuno de Rulandt, vir illuſtris, frater, niſi fallor, Theodorici de Rulandt, de quo Cæſarius Heiſterbacenſis anno MCCXXII. ita ſcribit. *Frater VValtherus monachus in Hemmerode referre ſolet miraculum, cui ſe interfuiſſe memorat. Cum peregrini in primâ expeditione obſiderent civitatem Achon* (cœpta eſt autem obſideri anno M.C.LXXXIX) *contigit quodam die, ut egreſſi Saraceni, manu violentâ propellerent Chriſtianos in caſtra ſua. Erat autem tunc ibi miles quidam iuvenis, Theodoricus nomine, frater Domini Cunonis de Rulandt, qui adhuc vivit. Is fluxu ſanguinis adeò laborabat & infirmabatur, quod in lecto ſuo non per ſe, ſed in linteamine vertebatur. Hic audito ſtrepitu & clamore fugientium, interrogavit, quid hoc eſſet? Et cùm audiſſet rem, juſſit ſibi afferri arma ſua, & ſe armari in lecto ſedendo. Tandem ſtrato dextrario ſuo & accinctus enſe, iuſſit ſe levari ſuper equum ſuum; & fluebat ſanguis etiam per ſellam; acceptâque lanceâ exivit dicens: Deus adiuva me & ſanctum Sepulchrum! Qui tantâ vehementiâ prorupit in Saracenos, tranſiens & circumgyrans, percutiens & propellens, quòd omnes Chriſtiani animati & confortati ſunt per eum ſolum, adeò, quòd eiecerunt hoſtes à caſtris ſuis. Quo facto redyt ad lectum infirmitatis ſuæ, & tertiâ die mortuus eſt.* Hæc Cæſarius. Cæterùm Cunonis Rulandij nomen iam indè ab anno M. CC. XIII. in priſcis tabulis invenitur.

Horum ergò omnium cum Margaritâ advenientium eminus exaudiebatur ſonitus atque ſtrepitus per ſilvam, quæ cœnobio imminet, adequitantium. Iam vallem omnes tenebant, Mo-

nasteriumque subibant. Senatus Luciliburgensis habebat in mandatis ut nisi extemplò redderetur Yolanda, Cœnobium flammis traderet. Hi ergò procedentes, iubent è vestigiò ad se prodire Sanctimoniales. Ubi eæ advenêre, tum Margarita excandescens: facite confestim, ut prodeat quoque filia mea, quam mihi rapuistis. Statim mihi discedendum. Si quid illa vobis promisit, id scilicet venti differant. Abibit unà mecum, & quod malè mihi fecit, id profectò luet. Ite; festinate; facite mox imperata. Mora est dum proficiscor. Sanctimoniales ingenti perculsæ metu, verentesque, ne suprà Margaritæ iram, Comitis quoque Luciliburgensis indignationem incurrerent, cùm cernerent cassas fore preces atque lacrymas, Yolandam matri ad cancellos sistunt. Ibi tum mater, irâ vecors; Itane mei oblita es, tuæ matris? Quanquam quid me matrem tuam appello, quam tu abnegasti? Sed detur hactenus ætati tuæ immaturæ hæc stultitia. Deinceps resipisce, & dum licet, me sequere. Nî facis, incendam Monasterium hocce tuum, teque unà tradam ignibus. Habes, ecce, quod eligas. Nec tergiversère. Ad hæc Yolanda intrepidè: Raro perdit, quisquis eligit. Proindè iam elegi ego; & hoc est, quod dolet tibi. Iam etiam mater es mea; id confiteor. Sed quæ materno adhuc in me fuisti animo, sine modo, ut hoc animo fruar. Da, si vis, maternæ pietatis specimen. Nam mihi quidem hoc loco vivendum atque moriendum est. His dictis intrò abscessit

abſceſſit, deſtitutâ foris matre & præ irâ mentis impote. Nec minus Viri Nobiles facinus iuvenculæ indigniſſimè ferentes, ſummam id matris injuriam interpretabantur.

Itaque abſque morâ Cœnobium ſolo tenus exſcindi atque exuri mandant. Id ubi vident Prædicatores, properè portam aperiunt, & miſerabili oratione Senatum accipientes, intromittunt. Vadunt unà omnes rectà ad Yolandam. Illa imperterrita conſederat. Tum Waltherus: Filia mea chariſſima, chariſſima mea filia! Nunc in perplexis adeò rebus, tu ipſa da conſilium. Hi ecce, quos cernis, cum mandatis adſunt, ut vel vi hinc te abſtrahant. De Monaſterio ita decretum, ut cumulus fiat cinerum, ſi hîc vel momento uno ſubſtiteris. Me quidem judice, potes abſque noxâ hinc cum matre diſcedere. Dies unus ſæpè rem convertit in melius. Fortè ipſa ſe recolliget, & maiore te honore commodoque tuo huc poſteà reverti ſinet. Exhorruit eo Waltheri conſilio Yolanda, & uberrimis infuſa lacrymis, flens gemenſque: Heu me miſeram; inquit. Quo me nunc vertam? Quo me, Walthere, deberes ipſe tu ultrò impellere, hinc me retrahis? Vis ut rebus terrenis me reddam, quibus ereptam per te me oportuit? Quæſo, quo hæc tu animo? Tu, qui haberis Vir Sanctus, atque etiam judicio meo es, quî ſuadere potes, ut matris iram interitu meo placem? Sed tu de te videris. Ego, ſanè, panem oſtiatim potius mendicabulum

vile, quoad vixero, conquiram, quàm ut Ordinem, cui me dedidi, his malis territa destituam. Iam, si domus hæc incenditur; solatio erit simul exuri me. Attoniti stabant hâc oratione omnes. Tum Waltherus flens, & supplices jungens manus, ad genua Yolandæ repentè corruit. Da veniam, Domina, inquit; vince parumper indomitum illum tuum animum. Miserere huius Cœnobij. Quid possunt hi parietes, quos tu flammis tradi sinis? Nisi fortè crimen est, quod te susceperunt? Miserere Sanctimonialium, quarum omnis culpa est, quod auxilio tibi esse cum pervellint, non possunt. Tu hasce perdes? Nimirum, ut te salvâ, illæ pereant; postquam Principum irâ, domo hâc subrutâ, ipsæ eiectæ atque expulsæ, nullum habebunt usquam, quo se recipiant, locum. At de te, quid tum fiet? Simul, opinor, profugies, aliudque alibi Cœnobium vaga perquires. Quæso te, me potius audi. Poteris huc olim maiore tuorum gratiâ, tuoque maiore commodo reverti. Quid hic Yolanda ageret? Deserta undique ab omnibus, obfirmat tamen animum, cœptique constantiam invicta retinet; donec tandem fides ei data est, liberum ei semper, integrumque fore, cum vellet, redire; addictum quoque, jungendas ei duas Sanctimoniales, quæ deducerent atque intrà triduum reducerent. Yolanda cernens se omni destitutam auxilio, abitum suadere Waltherum, iubere Antistitam, conditionem accepit. Sed quam invita id faceret, testa-

testabatur lucidus in ore pallor, & per genas delabens copiosus lacrymarum imber. Visum ei præ mœrore cor disrumpi. Sed fuit necessitati parendum, migrandumque loco. Erat inter viros nobiles [Cuno, ut dixi] Rulandius, Margaritæ cliens. Hic Yolandam tùm honoris, tùm custodiæ causâ deducere iussus est, magno comitante virorum equestrium agmine. Ubi deventum ad *Chorum*, tùm Yolanda miserabili voce: Ah Rulandi, Vir Nobilissime, inquit, fac in mei gratiam, quod unicum te rogo; gladium illum, quo accingeris, in me stringe, & caput hoc meum demete. Potius hoc longè salubriusque mihi, quàm ut hinc vi me tollant. Rulandium ita perculit ea vox, ut emollito virilis animi robore, subitò prorumpentibus lacrymis loco cedere debuerit, & Yolandam fidei suæ contraditam destituere. Mox Waltherus adest, vicem functurus Rulandij. Ubi Yolanda ad matrem perducta est, illa repentè insiliens pallium eius vi conatur avellere; contrà maiore vi obnitens Yolanda, pallium arctissimè strictum retinet. Paratus erat sonipes. Huic illa, quidquid ageret, imponitur. Tum verò maiorem in modum augeri miseræ animi dolor. Cumque se solam in potestate matris cerneret, atque à Cœnobio abduci, tum enimverò delusam se intellexit. Frustrà erat queri de injuriâ. Debuit mala sua ipsa secum concoquere. Unde perturbatæ & pœnè dejectæ de animo, subijt cogitatio, ut in terram se labi sineret, satius existimans,

mans, ibi se emori, quàm Ordinem deserere. Tantum erat vitæ rerumque omnium fastidium. Certè quod præ mœrore atque tristitiâ pectus non dissiliret, virtus divina dabat; quæ & mentem afflictissimæ inspiravit, ut omnia patienter ferret usque ad ultimum vitæ terminum. Hâc mente Deo se commendavit.

Vbi deindè iter ingressi sunt, incredibile dictu est, quid Yolanda perpessa sit. Ausi eam irridere ministri; alius sannis impetebat, alius velum palliumque nigrum petulantibus verbis carpebat, nonnulli etiam in Prædicatores atque Sanctimoniales maledicta effundebant. Per tot miseræ ludibria, deventum in Civitatem Luciliburgensem. Rescijt extemplò Margaritæ adventum (Henricus) Comes. Obviam ergò progressus, Urbanè eam accipit. Atque dum Yolandam salutat, Quæso, inquit, quid eò te adduxit, ut ea faceres, quæ de te famâ ad me perlata sunt? Læta hâc interrogatione Yolanda, datam sibi loquendi ansam: En adsum, inquit, sub fide tuâ. Hanc mihi dedit, quem cernis, Senatus ille tuus. Nunc age, per Deum, præsta, quam dare iussisti fidem, mihique patrocinare. Impera reduci me, undè sublata sum; nisi decorum tibi fortasse putas, captivam teneri in terrâ tuâ Sanctimonialem miserculam. Ad hæc Comes: Mitte ista, cara filia. Siquid tibi addixêre mei, id me latet. Tu matri, quando aliud fieri non potest, obtempera. Hoc dicto excussæ Yolandæ lacrymæ, multaque

animo

animo agitanti, unicum erat ſolatium flere. Congregatis interim primoribus, menſæ accumbitur, vix cibi quidquam attingente Yolandâ. Et quanquam per ſe iniucundum ei erat aſſidere inter epulantes dum menſæ tollerentur, accedebat ad moleſtiam, quod petulans ex nobilitate iuventus identidem eam vexaret. Alius pallium eius ſaltantis more agitare: alius iuncos aut ſtramen in argumentum deriſæ caſtæ ſterilitatis, collo inijcere: alius palam edicebat: Nunc ei profectò nubendum. Eſſe rem fixam atque decretam. Fuit, qui ſerto Comitis accepto, furtim accederet, idque Yolandæ capiti imponeret. Quæ res ita Yolandam offendit, ut correptum ſubitò ſertum in ardentes prunas deiecerit, graviſſimè id nonnullis ferentibus. His taliбuſque exercita ludibrijs, omnia vincebat.

Interim ſerus veſper adfuit, concedendumque fuit cubitum. Ibi cum cæteræ matronæ veſtem de more ponerent, id ut Yolanda quoque faceret impetrari non potuit, donec tandem una earum rogavit, daret hoc ſibi, ut clam ſaltem togam exueret, appromittens, ſe eam manè pro certo reddituram. His inducta Yolanda paruit utcunque roganti, & togam depoſitam, ut potuit, abſcondit, ac decubuit, ſomni totâ pœnè nocte expers, cum identidem magnos & miſerabiles ederet gemitus. Mater pertæſa tot filiæ gemituum atque vigiliæ, furtim arrepens, veſtem eius tacitè conatur ſubducere. Sed repentè Yolanda ex-

 urgens

ſurgens, ſummo niſu matri obſiſtit, adeò ut pelliceam eius togam ſciderit. Neque anteà cum ſolâ Yolandâ luctanti Margaritæ ſucceſſit è voto labor, quàm accurrentibus nobilibus virginibus auctæ huius vires. Tum ei præda fit erepta ſacra veſtis; quam continuò ad feneſtram decurrens per muros abjicit, ſpe eius recuperandæ omni ademptâ. Ita veſte ſpoliata Yolanda, noctem reliquam in mœrore ſummo pervigilavit. Ubi diluxit, adſunt nobiles puellæ; rogant, ut conſurgat de lecto. Surgam enimverò, inquit illa, nec quidquam fecero libentius; At veſtem, quam mihi rapuiſtis, è veſtigiò reddite. Quod ni fiat, hinc me vis amovere nulla poterit. Illæ nihilominus in rogando perſiſtere, donec certamini intervenit mater. Hîc tum vi adacta ſurgere Yolanda, veſtem induitur ſplendidam & diverſicolorem, viris etiam ſpectantibus. Pro velo nigro, fulgebat in capite ſertum aureum unionibus implexum. Cætera capitis alba velamina, permutantur delicato bombycino peplo, tralucentibus per id flavicoloribus & criſpantibus capillis, qui poſt malè tonſum, ut dixi, verticem adhuc ſupererant. Tunicæ albæ & informi, vimineoque trunco ſimili, & pallio nigro, ſuccedit thorax gramineo virore lætus, & toga ex flavo rubidoque varia, rugis atque plicis frequens. Scilicet perierat in Yolándâ Sanctimonialis; quanquam quod foris ſpecieque tenùs perierat, id intùs remanebat in animo. Ita exornata Yolanda prodijt,

diit, ut Comitissæ Luciliburgensi valediceret. Quam venustè allocuta: Domina, inquit, quis pudor has me molestias atque iniurias in ditione tuâ perpeti! Ergòne ego Sanctimonialis illa misercula, materia apta sum violandi honoris dignitatisque tuæ? Si quà tibi adhuc est propensa ergà me voluntas, quæso te, prohibe vim istam, invisam haud dubiè marito tuo, optimo Principi. Per Deum te obtestor, ne sinas me in terrâ hâc tuâ universi orbis fieri ludibrium. Hîc Comitissa, Yolandam non nihil morata, Dic mihi, te obsecro, penitùs ergo tibi deliberatum humana spernere, & divina sectari? Illa, planè deliberatum esse respondit, nec mutari ullo modo posse. Tum Comitissa: Si ita est, nec contrà ego ivero; quin potius videro, ut desiderijs tuis, si quà potest, omni ope velificem. Quo dicto flens Yolanda cum matre dimittitur.

Ita profectæ, fortè sub meridiem tenuêre villam rusticam, quo loco prandere statuerant. Ibi tum Yolanda abstrusum aliquem in angulum preces Deo oblatura secessit. Quod ubi animadvertêre familiares, continuò advolant conspicui nobilitate iuvenes, magnoque edito strepitu precantem interturbant, proiectis etiam in sinum lapillis. Ea petulantia Yolandæ lacrimas concivit, cœptamque precationem coëgit omittere, & sinè prece ad mensam accedere. Assedit prorsùs impasta, & contumelijs magis, quàm cibo, saturata; matre & viris atque adolescentibus eque-

ſtribus iam Sanctimoniales, iam Prædicatores certatim execrantibus, ingenti Yolandæ mœrore. Menſis deindè ſublatis, lotiſque de more manibus, mater in hortum ſola ſeceſſit. Secuta mox Yolanda. Ibi cùm in gramine conſediſſent, Yolanda integratis cùm fletu querimonijs, Suaviſſima mater, inquit, in tuâ ſitum eſt manu, mederi dolori meo. Fer, quæſo, quam potes opem. Omne mihi momentum vitæ, acerba mors eſt, dum Sanctimonialibus aggreger. Commota filiæ lacrymis mater, ſolantis ſpecie: Quando ita neceſſe eſt, cara filia, omninò ad deſtinata tua, uti pervenias, te iuvero. Tantùm flere deſine. Fecero equidem, inquit Yolanda, ſcirem modo, quod huic rei tempus præſtituas. Cui mater; dies non omninò quatuordecim. Id breve ſpatium licet, Yolandæ tamen pro toto anno viſum eſt, tam gravis erat ei mora! Sed fefellit promiſſa mater, duobus deinde totis annis & amplius Yolandâ in eo cruciatu mœroreque relictâ. Hinc continuò perfectæ, rediêre Viennam.



CAPVT X.

Yolanda Viennæ latè accipitur. Veniunt ad eam tentandam Coloniâ Henricus frater eius, Salsinio Hymana cognata. Bellacosta tentatur ab Hengenbachiâ aliâ cognatâ, & à matre adigitur ad choreas ducendas, ubiq; victrix.

VBi vulgatum, reverti Luciliburgo cum Yolandâ Margaritam, magni omnis ordinis atque ætatis facti concursus, lætantium redijsse incolumes. Ut propius Viennam accessêre, Henricus Yolandæ pater ad portam advolans, equo filiam deponit, pectorique appressam intrò infert. Effusus deindè in gratulationem, parùm virilis animi memor, incredibiles verborum delicias atque delinimenta adhibet: undè vehementer irata Margarita in virum invehitur. Itane, inquit, iam excidêre animo, tot à tuâ filiâ illatæ nobis injuriæ? Quam objurgare, in quam adeò verberibus ob stultitiam animadvertere oportebat, huic tu blandiris? Sine, luat potius, quod suprà id, quod per ætatem ei licitum, malè ausa est. At Comes pergere nihilominùs in gratulatione, Margaritâ quamvis increpare & obiurgare permissâ. Perindè viri equestres lætari de Yolandæ reditu. Ipsa autem ubere fletu aliena gaudia in

ſuum mœrorem convertebat. Undè factum, ut cæteris quoque mœrentibus, citò diffluxerit breve gaudium. Porrò Yolanda ex perpetuo illo animi cruciatu defecta viribus, gravi morbo ægra, pluribus diebus decubuit; donec divini Numinis ope recuperatâ valetudine, iterum pedibus inceſſit. Inter hæc frater Yolandæ Henricus, Præpoſitus ædis maximæ Colonienſis, qui eam mirificè amabat, comperto, quid rerum moliretur, cœpit ingenti eius videndæ teneri deſiderio. Itaque Coloniâ profectus ad eam venit. Yolanda ubi fratrem adeſſe intellexit, Procedere obviam. Ruunt in amplexus, & mutua oſcula, mixtis præ gaudio lacrymis. Ibi tum Henricus ita loqui orſus eſt. Quid hoc rei eſt, mea Soror? Nimirum nulla iam uſquam eſt reliqua fides, poſtquam à te falſus ita deſtituor. Hoccine rependis amori in te meo? Fixa tu mihi ſemper eras in animo, nec aliud mihi umquam dulcius, quàm meminiſſe tui. At tu oblita mei, oblita fidei, alio te vertis? Si merebar dolore omnium maximo obrui, hoccine per te factum oportuit? Eæ fratris quærelæ uberes excuſſêre Yolandæ lacrymas. Frater, inquit, pacene tuâ licet, ut tibi ſenſa mentis meæ aperiam? Licet, inquit ille, & liberè quamvis & apertè. Tum illa: Ut uno verbo complectar quam te diligam, tu mihi pro patre es, ſi non plus quam pater. Parentum iram atque offenſam, equidem ægerrimè fero. Sed quod te meâ cauſâ ſollicitum mœſtumque

video

video, id me longè maximè excruciat. Verum quid agas? Deo me devovi. Huius damnata voti, omnia flocci facio, ut me voto exolvam. Tu vide nunc, obsecro, satiusne sit, te mecum obsecundare Deo, an succensere mihi, promptæ antè mortem oppetere, quam deserere benè cœpta. His Yolandæ dictis, ceu telo, convulneratum fratris pectus cessit dolori, erumpentibus continuò cum eiulatu lacrymis; nec siccis Yolandæ oculis. Fletu itaque ambobus eripiente vocem, consedêre tantisper tristi silentio. Henricus interim volutare animo, haud fas esse Sorori ultrà obsistere: Age, inquit, quandò tibi à Deo data est hæc mens, nefas, profectò, me contrà niti. Nihil morare fratrem, quamvis tui amantissimum, sed vocantem sequere Deum. Ita victus ille temperavit imposterum dolori, nec auditus verbulo umquam Yolandæ obloqui.

Haud ita Hymana, Salsiniensis Antistes, Yolandæ, quam dixi, cognata. Ea molestè ferens cognatam suam tam deditam Patribus Prædicatoribus; cum sodalium unâ Viennam accessit, eam aversura. Nec defuit hîc Yolandæ, quod abundè perpeteretur. Per eosdem dies Henrico & Margaritæ visum Bellacostæ commorari. Indicta ergò profectione, eò domus tota concessit. Venêre & cum Yolandâ Sanctimoniales Salsinienses. [Habebat sororem alteram Conradus Coloniæ Archi-Episcopus, *Beginam*, nuptam olim viro nobili Hengenbachio; ex quâ illustri gente

gente fuit Walramus Præpositus Monasteriensis, cuius apud Butkemium in Brabanticis exstant tabulæ anni MCCLXXXIX. Est autem Hengenbachium in Iuliacensi provinciâ haud procul Nideckâ, vetus oppidum, *Heimbach* modò nuncupant, ut scribunt Gelenius & Teschenmacherus.] Porrò ad Hengenbachiam ubi perlatum est, ita impugnari Yolandæ consilia, voluit & ipsa venire in partem operæ. Equis ergò Coloniâ Bellacostam defertur. It cognatæ suæ obviam urbanè decenterque Yolanda. Gestire omnes gaudio atque lætitiâ, non tam ex adventu tantarum hospitum, quàm ut Yolandæ mœrorem discuterent. Antè omnes Henricus Comes imperare cantum, iubere proferri tympana atque lyras, exhibere omne genus ludicri. Ductæ ergò naviter choreæ. At Yolandæ animum nihil horum afficiebat, ut maximè eius causâ fierent. Undè Margaritam intempestiva ea filiæ modestia summoperè commovit. Irâ ergò ardens exurgit, & Yolandâ manu correptâ: Eia, inquit, quando tua ego mater, tu mea filia, haud paulò sanè, æquius est, te mea, quam tua me capessere imperia. Tolle moras. Ridendum tibi profectò, & cantandum, & tripudiandum. Quod restites atque repugnes, nihil est. Fiet quod volo, vel tuo, vel malo meo. Yolanda his oppidò perterrita, ad hæc callens, quo matrem ferre sua soleret iracundia, intellexit, nec deprecationi esse locum, nec lacrymis, nisi ad testandum suum dolorem. Coacta itaque

pug-

pugnantia edebat, ſimul flens & tripudians, inceſſu tamen magis, quàm ſaltu; ut Sanctimonialem vel in choreâ dignoſceres. Genus erat ſaltationis, quo in orbem circumagi ſolebant. Id genus ut pedibus plauderet, nec blandimentis, nec precibus ullis impetrari potuit. Ita choreæ ordine atque ſubſultu turbato, libera dimitti debuit.

Ipſa animadvertens omnia ſibi adverſa, infenſam matrem, mœſtum patrem, nihil uſquam fidum, nihil tutum quo ſe verteret, ad cognatam Hengenbachiam, probitate inſignem feminam, adit, impertiens ei omnem animi ſui dolorem.

Illa, ut erat in eo ſexu admodum ſapiens, ex tenero corporis Yolandæ habitu cœpit eam tentandi argumenta capere; Et tu, inquit, orta in ſummo generis faſtigio, nata inter aulæ delicias, educata molliter & ſplendidè, tu delicatula, tu corculum tuæ matris, ut feras vitæ cœnobiticæ auſteritates? Tu vigilijs, ieiunijs, durâ laneâque veſte franges illud corpuſculum? Tu mediâ nocte conſurgere, egere omnibus, perpetuo carcere clauſam reſidere te poſſe putas? Vide obſecro, quid inceptes. Vide quo te conijcias. Quod ſi tamen tui te non miſeret, miſerere ſaltem parentum tuorum. Ergò tu patrem mœrore & luctu æterno obrues? Nam de matre tuâ, quid dicam? Quam tu licet tot & tantis afflictam malis, parum ſanè coluiſti pro matre, mater tamen illa eſſe perſeverat, & ſi quà tibi viſa eſt durior, amoris ea vis eſt. Iam frater meus

Colo-

Colonię Archi-Episcopus, prę me sorore suâ te diligit. Ad extremum parentela tua omnis pro te mœret atque affligitur. Hos tu omnes affectus una puella dispicies? Ad hęc Yolanda infracto animo: Sine, per Deum, sine me frui votis meis. Nec cognatos, nec propinquos, nec fratrem, nec patrem, nec matrem, aut si quà excogitari possunt cariora nomina, pensi habeo; dum datam Christo fidem custodiam. Hic mea causa raptus in vincula, colaphis cęsus, cruci affixus, totum se morti dedit pro me victimam. Adde exemplum desertę matris, cùm antè eius oculos in tormentis exspirare maluit, quàm servando vitam, eius mederi incredibilibus doloribus. Et ego consanguineorum atque parentum causâ prodam amorem Christi mei? deseram exempla? Certùm mihi Deo posthabere omnia, ipsamque adeò vitam. Hęc multo cum fletu ita proloquente Yolandâ, manabant & Hengenbachię per ora, non mœroris, sed solatij lacrymę, probanti cognatę suę constantiam, & infractum in benè cœptis animum. Indè adito Henrico comite, deliberatione habitâ, decernunt evocare Coloniâ Albertum, clarissimum illud Prædicatorum Patrum per ea tempora lumen, & qui tum inter professores Theologos palmam facilè ferebat.

C A-

CAPUT XI.

Albertus Magnus, cum Walthero Meisenburgio Coloniâ accitus, explorat Yolandæ animum; eiusq; cœpta probat. Hymana cum Yolandâ eiusq; Patre expostulat, & omnia querelis implet. Yolanda coram Hengenbachiâ ab Alberto multis precibus exorato, in Ordinem D. Dominici ritè admittitur.

POstquam Albertus unà cum Walthero Meisenburgio Coloniâ advenit, acciti sunt in consilium optimi quique clientium. Adfuit & Margarita cum Hengenbachiâ. Expositum ibi, quid Yolanda improbantibus parentibus moliretur. Post rem diu multumque deliberatam, Albertus; Quin & ipsam, inquit, accersimus Yolandam? Edicat ipsa nobis, consilione, an animi quodam impetu, ad hæc cœpta prosilierit? Prout alterum horum fatebitur, perindè feremus sententiam. Placuit advocari Yolandam. Ea mox in veste parabili atque tenui adfuit, plena curarum atque sollicitudinis, nisi quod in Deo spem omnem fixerat. Tunc Albertus ita eam alloquitur: Queruntur, ecce, parentes tui, absque se ausam te cœnobiticæ vitæ capere consilia. Atqui non nescis, profectò, esse rem illam maximæ deliberationis, nec

tuo unius ductu suscipiendum tam grave negotium. Hinc te culpant injuriæ. At tu, si quid habes, pro te loquere. Dic, quo consilio, quo auctore hoc feceris? Dicam enimverò, ait Yolanda, nec erit in me responsi mora. Totam me Deo dedidi; quidquid deinde sors tulerit, tuebor pro viribus semel datam Deo fidem. Ad hæc Albertus: At, quatenùs fidem dederis, teque divino Numini obstrinxeris, id nos edoce. Deo, inquit illa, eiusque Matri in Cœnobio ad Vallem S. Mariae volens sciensque me tradidi. Ibi sanctimonialem me suscepit Ordo vester; quem Ordinem & eo ipso loco professa sum priusquam mater indè me vi raptam abduceret. Contrà Albertus: Res adhuc integra est, inquit, dum inducas animum viro nubere. Voto perfacile solvêris; solvet interpellatus Pontifex Maximus. Hoc Alberti dicto, læti omnes, probabant magnopere consilium, arrecti interim animis, quid Yolanda diceret. Iis ergo magno silentio attentis, illa: A Pontifice Maximo liberari voto me posse, si petam, haud equidem diffiteor. Sed nolentem an liberare me poterit? Et si invitam liberet, an me crimine liberabit, si fallam posteà voti fidem? Brevi sic habetote. Quod Deo promisi, exsolvere certum est. Tunc Albertus: Habet hunc morem Ordo noster, ut tyronibus sit annua probatio. Intrà hoc spatium, cui disciplina visa gravior, fas ei migrare & suas sibi res alibi habere. Nec id cuiquam dedecori. Yolanda

tamen

tamen in eo persistere, ut diceret, mori se, quam Ordinem suum deserere, malle. Hactenus inter Albertum atque Yolandum verborum illud fuit certamen, lætis omnibus, sapientiamque Alberti magnoperè laudantibus. At ipsi visum aliter; & parum verba sua profecisse intelligens, conversus ad eos, Nihil inquit, egò hîc agere, nec suadere possum, ubi si quid agas, suadeasve, frustrà est. Vi adigi virgo non debet; nisi fortè Deo obniti malumus. Hæc ubi Albertus dixit, contulêre capita omnes, oppidò solliciti atque invicem attenti. Quod ubi Yolanda animadvertit, rebus non verbis agendum rata, magnis animis ad patrem accedit, & antè eum in terram prosternitur, plena lacrymarum, & junctis suppliciter manibus, Hoc corporis habitu veniam postulat. Pater continuò exiliens, Surge filia, inquit, nec mihi tu supplex ad genua procide, quæ tui amantissimo imperare potes; nisi mavis durum me esse tibi patrem, & invidere ipsi mihi amorem in te meum. Surge, age, surge; cumque hoc dicto filiam pectori apprimens, arctissimè amplectitur, miscens suas Yolandæ lacrymis. Id spectaculum ita movit omnium animos, ut à fletu sibi temperare nemo potuerit. Atque ita consilij huius exitus intrà affectus & verba stetit.

Quod Hymana cum animadverteret, statuit Henricum acri oratione aggredi. Adductâ secum Yolandâ, eum adit. Video, inquit, parum in-

telligere te, aut si intelligis, non perpendere communem nostrum sanguinem. Sed ut de me nihil conquerar, ubi ergà filiam tuam paternus animus? Ubi fides? Ergò passus es eam tam misero loco religione adstringi? Senties, profectò, quo tuo damno id feceris. Decreveram ego eam mihi, meoque Ordini adiungere, idque erat, ut opinor, haud paulo plus ex honore atque dignitate tuâ; quam in terras exteras eam dimittere, ubi neque amici, neque parentes atque consanguinei, nec ullum loci decus, nec victus ille constitutus, ut domi meæ. Prodidisti, profectò, me filiamque tuam. Stabat interim Henricus dejectus animo: Et quid me, inquit, incessis? En filiam meam. Hanc invade; & si quidem eo potes impellere, ut tibi Ordinique tuo se aggreget, per me equidem licet. Hîc Yolanda: Domina, inquit atque cognata mea, te testem appello (neque enim immemor es) quantis tecum precibus olim egerim, cum Salsinij in Cœnobio tuo admitti in Ordinem vestrum flagitarem: At dimisisti me tunc voti inanem. Nunc ergo tu quoque eius, quod à me desideras, inanis esto. Rebar, inquit Hymana, haud seriò te in eâ ætatulâ id agere. Cui Yolanda: Imò verò, aspirante Numine, id tùm maximè seriò volebam. Et ne fallaris, quæ de Cœnobij mei egestate ingessisti, tantùm abest ut me terreant, ut si maiorem usquam inopiam atque penuriam, quàm est mei Cœnobij, cognoscerem, huc lubens volensque convolarem.

larem. Habes, ecce, quod à me impetres; nec aliud spera. Perculit ea Yolandæ responsio Antistitam, lætante interim Henrico, eâ se filiæ oratione defensum. Ita nihil effectum ab Hymanâ, nisi quod irâ atque indignatione plena discessit. Ne tamen cœpta desereret, matrem & Yolandæ fratrem adit. Effusa ibi in querelas, primùm in Patres Prædicatores acerrimè invehitur. Tum reprehendere Comitem, culpare clientes, nemini parcere, omnia implere querimonijs. Erat una eius ubique vox, subductam sibi, quam Cœnobio suo adscribi optaverat, Yolandam. Hæc autem probè memor, quæ sibi ad MARIAE Vallem data documenta, cum Hengenbachiâ adit Albertum, &, Per Deum immortalem te obsecro, inquit, sine me frui votorum meorum exitu. In vestrum semel descripta Ordinem, eumque velo suscepto professa, nunc te duce, te auspice, iteratò & ritè admitti volo. Nec est, quod deesse tibi potestatem excuses, quandò Magister Ordinis vestri Vicarium te sibi adlegit. Ille contrà: ut ego te Ordini nostro associem? Hoc tu munere profectò me liberabis, filia. Ne faciam, cavero. Instare nihilominus forti animo Yolanda: Frustrà eum tergiversare: non abituram se loco, nisi re impetratâ. Ille obniti: rogare, quid ita properaret? Exspectaret parumper, dum maturesceret negotium; futuram in lucro moram. Negat ipsa; & Tolle moram, inquit, nec utilem mihi, nec licitam. Hæc Yolanda flens, & in

genua provoluta supplex. Persistere tamen in recusando Albertus. Iubet exsurgere & parcere lacrymis, spondens tamen opem in posterum atque auxilium. Urgere nihilominus Yolanda, nec rogando supplicandoque cessare. Cumque inter hæc Albertus movere se loco vellet, illa veste prehensum repentè sistit: iam supplicare, iam blandiri, iam postulare, mixtâ miserabili eiulatione & copioso fletu: donec Albertus, impar tot affectibus, cessit victus, atque in vestigio Yolandam Ordini suo ritè adiunxit. Illa incredibili plena gaudio in cubiculum suum se recipit; nimirum gratulatura sibi, Deoque, nova Christi Sponsa.

CAPUT XII.

Alberto & Hengenbachiâ discedentibus, Hymana Yolandam per se, & per alios sine intermissione impugnat. Abbatissa D. Thomæ, alia soror Conradi Archi-Episcopi Coloniensis, eam ad suum Cœnobium conatur allicere. Conradus Abbas Hemerodensis iussu matris eam adoritur. Triumphat ubiq; Yolandæ constantia.

SUb hæc discedente Bellacostâ Hengenbachiâ, Henricus moratus aliquanto tempore Albertum, & huic tandem abeundi copiam fecit, remanente

manente interim Hymanâ, eo animo, ut Yolandam, si quâ arte posset, à Prædicatoribus averteret. Dici nequit, quantùm Yolanda acerbitatis atque molestiæ exhauserit, dum Hymana noctes atque dies ei incumberet, adhibitis sine fine blandimentis atque precibus, nullo tamen alio profectu, nisi quod perpetuo mœrore excruciaret miseræ cognatæ animum. Undè iracundiâ exardescens ob perditam operam suam, alienam impendit. Primùm matri est auctor, ut filiam identidem obiurget. Deindè cum per eosdem dies Bellacostam venissent sodales ex D. Francisci familiâ, hos perpulit, ut Yolandæ Prædicatores ex animo evellerent. Illi meditatè & solerter comparatis antè rationibus, virginem adoriuntur. Sed maiora victi rationum vi, muti atque elingues recessère. Hymana, postquam vidit nihil effici consilio, invidiâ atque indignatione se armat, questa paracerbè apud consanguineos atque cognatos, dementatam adeò Prædicatorum amore Yolandam, ut neque generis sui honorem, neque parentum necessitudinem attendat; nec esse vim ullam atque industriam, quæ dementiam illam ei eripiat. Undè certamen novum & ingens, idque multiplex & varium. Consanguinei undique coorti Yolandam invadunt. Alter incumbere precibus, alter expostulare atque obiurgare, minari, terrere alius, ut Yolandæ tot inter assultus vix respirare liceret. Omne ei unicumque malorum levamen in diurnis nocturnisque
 suspi-

ſuſpitijs, eiulatu, gemitu, & lacrymis, ut pectus vel ferreum moveri atque molleſcere commiſeratione potuiſſet. Ubi deindè ceſſatum à conſanguineis, redintegrabant pugnam Sanctimoniales cuiuſcumque demum Ordinis. Congrediebantur Sacerdotes atque monachi. Recederent hi, excipiebant alij. Tam gravis tamque acerbus erat Yolandæ ſacratorum Deo hominum ille conflictus, ut tolerabiles faceret cruciatus, quos ei parentes anteà intulerant.

Eſt ad Gelbim in ditione Trevirorum, haud longè Himmerodenſi Ciſtercienſi Monaſterio, Nobile Virginum eiuſdem Ordinis, eidemque Monaſterio ſubiectum Cœnobium. Nomen ei à D. Thomâ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo martyre. Condidit illud non multò poſt glorioſi Pontificis cædem, ſub annum M. C. LXXI. Ludovicus Dudelsfeldius, cuius filia atque neptis primæ fuêre loci Antiſtitæ, ut in annalibus Trevirorum ſcriptum eſt. Creſcentibus exindè Cœnobij rebus, Agnes Malbergia, nobili loco nata femina, liberis deſtituta, D. Thomæ Virginibus teſtamento fundos aliquot legavit. Id non ferens Rudolphus Malbergius, Agnetis ex fratre nepos, Virgines armis exagitat, & compellit domo profugere, ut in libris Provincialibus Trevirorum traditur. Factum id ſub annum M. CC. XXXVII. Sed reverſæ tandem ab exilio virgines, inſtauravêre familiam. Per hæc verò tempora, quæ Cœnobium id moderabatur, erat Conradi Archi-

chi-Episcopi Coloniensis soror, Yolandæ sanguine iuncta, adlegendis in Sodalitium virginibus intenta.] Hæc intellecto, agitare Yolandam ineundæ sanctioris vitæ consilia, citis equis Bellacostam advolans, Henricum Comitem magnoperè orat, ut filiam sibi tradat: se eam sextam in familiam suam adscripturam. Henricus deliberatione cum suis habitâ, probat unà cùm conjuge consilium. Confestim iussa adesse Yolanda. Ea ubi Sanctimoniales D. Thomæ advenisse comperit, subodorata quid in se componerent, etsi molestè tulit earum adventum, stitit tamen se evocantibus. Ibi tùm Antistita sic locuta est. Et famâ, & tuorum querimonijs ad me perlatum est, esse te in eo, ut inter Sanctimoniales vitam degas. Quo loco id aggredi decreveris, tui consilij est. Cæterùm haud procul hinc Cœnobium ego moderor, virginum selectissimarum præses. Omnis penè equester ordo, qui undique frequens circùm nos degit, collectas à me domi meæ habet puellas. His, nisi Ordinem nostrum aversaris, te & quinas alias, aggregabo, moxque sacro omnes habitu convestiam. Yolanda prudens perspicaxque rerum, ubi ex parentum clientumque silentio intellexit, probari omnibus orationem Antistitæ; ratâ moderandum animo, frenandumque eo tempore & loco mentis impetum, urbanè modesteque respondit: Agnoscere se fidem atque benevolentiam cognatæ, planè, esse honorificum sibi suisque, quod offerret, eâque de causâ debere

 se

se gratias, Deumque rogare ut eas referat. Cæterùm nondum parentibus visum maturum, ut Sanctimonialem se esse patiantur. Quanquam, si in suâ causâ sibi loqui liceat, de parentum consensu forsitan olim fieri posse, ut cœnobiticam vitam amplectatur. Nec defore se, quin eam eiusque Sodales, ubi tempus illud advenerit, commonefaciat. Hæc cùm placeret omnibus tam attemperata Yolandæ responsio, ipsa velut pace partâ ex hoc conflictu discessit. Secuta eam in vestigio Antistita, rata multum se effecisse; & Monitam, inquit, te volo, mea filia, siquidem Ordinis nostri esse desideras, omnia ut antè compares atque provideas: ut vestem & cunctum mundum tuum muliebrem tecum apportes. Ad hæc Yolanda: Haud deero, inquit, muneri meo. Neque enim nescia sum, quî deceat id genus negotij capescere. Si aspirante Numine res terrenas mihi olim deserere contingat, ita cuncta prospexero, ut prosperè feliciterque eventura mihi confidam. Proindè sollicitudinem omnem depone ex animo. His admodum contenta, sed verius elusa, discessit Antistita, plurimùm gaudente eius abitu Yolandâ. Iamque existimabat se à Sanctimonialium femineis assultibus liberam, pacis aliquid habituram, cùm ecce adest Himmerodensis Abbas, vir spectatæ sapientiæ. [Conradum monimenta domestica nuncupant.] Is simul atque advenit, Margarita, depositis apud eum de Yolandâ querelis, rogat enixè, ut eius ex-

pugna-

pugnationem ſibi ſumere ne gravetur, ſi quo modo poſſit à Prædicatorum Ordine eam avertere. Si ne id quidem ex voto cedat, ſaltem ad D. Bernardi inſtitutum ſectandum inducat. Abbas teſtatus, quâ fide diligentâque Margaritæ pareret imperijs, Yolandam funditus tentare inſtitit. Iam rogare, iam blandiri, iacere interim etiam minas. Sed quidquid ille inceptaret, ad omnia invictus Yolandæ ſtabat animus; nec ille impugnando, quàm ipſa defendendo, erat promptior. Precibus reponere preces: minas emollire lenibus verbis: obiurgationes modeſtia placare: rationibus interdum etiam inſtantem revincere: donec iam deferveſcente ardore, Conradus intellexit, in bonâ causâ puellam ſæpè præſtare viro. Itaque cum ſilentio ceſſit Yolandæ victoriam, & abijt. Negat hoc loco Hermannus, rerum Yolandæ Scriptor, parem certaminibus eius enarrandis inveniri poſſe orationem. Nullum non hominum genus, nullam conditionem non hiſce conflictibus interveniſſe. Pugnâſſe homines æque ſacros atque profanos, doctos atque indoctos, viros equeſtris ordinis, claros genere iuvenes, fortunis & opibus potentes iuxtà & egenos. Nec exigui temporis fuiſſe certamen, ſed protractum atque diuturnum, ut miseræ Yolandæ patiendum fuerit penè ſuprà omne exemplum. Succeſsêre tamen prioribus haud leviorâ mala.

CAPUT XIII.

Montejoius Yolandam à parentibus sibi desponsam, postulat. Vndè graves rixæ. Recurrit ad Deum Yolanda, & matri invisa plurimùm patitur à domesticis.

DIctum à me suprà; Yolandam adolescenti nobili fuisse à parentibus citrà eius consensum promissam. Erat, is Montejoji [Dominus, [quod est castrum Eifliæ, tribus à Lymburgo leucis. Tempora aliaque reputanti videtur mihi fuisse Walramus, Walrami II. Limburgensis Ducis filius, cuius prosapiam exponit doctissimus Andreas Duchesnius. Is Walramus Montejoius cum multisPrincipibus subscribit fœderi inito inter Conradum Hochstadanum Archi-Episcopum Coloniensem & Engelbertum Episcopum Osnabrugensem. Tabulas edidit Gelenius in actis D. Engelberti, conditas anno MCCXLVIII.] Parentes atque amici Montejoji, intellecto Yolandam dedisse se cœnobio, ea re offensi, misêre nuntios cum litteris. Postulabat Montejoius suam sibi dari sponsam, & ni fieret, ingentes deposcebat opes atque pecunias. Henricus & Margarita, stipulantes iterato filiam se traditurosi nuntios dimisere cum responso, paratam esse Yolandam, ubi primum liberet eam adducere. His rebus

rebus fine Yolandæ fcitu ita geftis, convocato fenatu, collectifque in confilium clientibus, Henricus, quid faciendum in re perplexâ, deliberat. Iuffa etiam comparere in concilio Yolanda, adfuit. Leguntur Montejoij litteræ. Cumque rogâffent Yolandam, quid haberet in animo, ita ipfa locuta eft. Ab omni prorsùs viro me liberam folutamque effe volo; unico dempto, quem elegi, cuique, quam iuravi fidem, antequam fallam, mortem oppetere certum eft. Excepta tanti animi oratio omnium filentio. At Margarita intelligens in fe maximè recidere controverfiæ pondus, ad Yolandam converfa: Hunc ergò ex te gaudij fructum percipimus? Quis fponfalia tua diffolvet? Quis folutione nos explicabat pactæ pecuniæ, nî te fponfo tuo tradamus? Contrà intrepide Yolanda: Si quis quidquam pro me fine me fpopondit, is fine me profectò folvat. Promiffa mea, egò pro virili præftitero. Tum mater infultantis fpecie: Fateris ergo in te fitum, ne tradâre viro, cui te pater defpondit? Quid? Ergò tu ut animo tuo indulgeas, nos amicos noftros fallere, nos pecuniam vis prodigere? Ergò pro libitu nutuque tuo fola rem geres? Tu imperabis nobis, obfequemur nos tibi? Audi, elige duorum alterum; aut fponfum tuum fequere: aut D. Thomæ Sanctimonialibus, aut Salfinienfibus, quibus Hymana cognata tua te deftinat, adiungere; nifi mavis (nam & hoc tibi datur) cœnobium alibi inire aliud, dum id Ordinis fit

D. Be-

D. Benedicti, aut D. Bernardi, nobis volentibus planè, quin & opitulantibus, feceris; & sin ultrò feceris, facies adacta; aut solve promissam sponso pecuniam, teque libera; aut, profectò, ei cœnobio te trade, quod possit eximere tuo te debito. Hoc interim scito; monasterium, quod ipsa tibi præstituisti, ingrediêre nunquam. Habes quod eligas. Quod hic eligam, inquit Yolanda, nihil est. Cui iucundum sua perdere, spondeat is equidem pro me quantum libet. Exsolvam promissa egomet mea. Id haud paulò sanè æquius, quam cœnobium meum teneri promissis neque suis neque meis. Tam libera constansque filiæ oratio, eripuit matri patientiam. Iurat identidem, obtemperandum sibi à filiâ, quidquid contrà pugnet. Unum in cubiculum, inquit, te tuumque sponsum concludam. Tu vide, quid sola cum viro incœptes. Ad hæc modestè Yolanda: Sub ius tuum atque potestatem me Deus subiunxit, id equidem confiteor. Cædere, tundere, quin & viro solam addere me potes. At si tùm adsit idem ille Deus, meque iuvet, etsi centum me viris iunctam totidem seris conclusam munias atque custodias, integra tamen atque immaculata ut evadam, perfacile est. Quarè talem egò virum, quocum me territes, parum, profectò, reformido. Fremere ad hæc mater & penè furere. Iacere etiam verba obscœna & indigna matronali pudicitiâ. Yolanda occlusis repentè auribus: Hei, cessa, inquit, mater,

ter, cessa, & ipsum adeò desine contaminare aërem. Ubi pudor? Tam fœdas tibi excidisse voces? Scilicet cum verecundiâ mentem tibi quoque ira eripuit. His magis incensa mater, sine modo grassari. Magnâ ardens irâ in filiam involat. Sed illa modico recessu venientis impetum declinat. Pergere interim in intemperijs mater, bacchari, vociferari, iubere rapi filiam, & in profundum detrudi carcerem. At Yolanda, haud quaquam his territa; In tuâ sum manu, inquit: De me, ut libet, constitue. Conjice in vincula, detrude in carcerem, ipsumque adeo mecum include carcerarium; haud contrà restitem, dum pro me, quod spero facturum, stet bonus Deus, idem patiendi mihi auctor & merces. Ita inter matrem & filiam protractum certamen à meridie usque ad vesperum, donec Henricus, cui molestissimum erat has videre rixas, obiurgantem iussit conticescere conjugem.

Adstabat inter alios ex equestri ordine magni animi vir. Is non ferens imperari in eâ causâ Margaritæ silentium, cœpit contentâ elataque voce in Yolandam peracerbè invehi. Cui Yolanda: Domine, si quid meâ de causâ te malè habet, id ipse tecum tacitus digere. Quod cum parentibus meis agam, id etiam nimiùm est negotij. Tu ne quidquam addideris. Ille è vestigiò contrà clamare: Non loquar ego, cum tu stultitiâ tuâ omnia corrumpis? Quanquam non meam unius vocem audis. Hic omnis nobilissimus ordo,

do, ipsa adeò patria, quam tu muliebri religione tuâ deturpas, ore meo te incessit. Nam parentes tui, ipsi per se, profectò, satis intelligunt, quantam inustum eas generi suo infamiæ notam. Hîc Yolanda plena animi. Haud vera loqueris. Imò dum Numen divinum colam atque venerabor, crescet, profectò, à me, uti confido parentum meorum honor, augebuntur opes. Sed facesce tu, rerumque tuarum satage, & sile, & molestus esse desine; nihil tecum mihi negotij. Henricus inter hæc, vir animo miti, & filiæ suprà quam dici potest amans, consederat manantibus ubertim lacrymis. At Margarita, irâ, indignatione, & dolore ardens, erumpit in voces, clamore insultans filiæ. Siccine? Mecum esse renuis? Ergò pone vestem, quâ indueris; mea est. Et si Sanctimonialem tibi esse libet, hinc emigra. Sub uno tecto mecum sanctimonialis esse haud equidem poteris. Non hæc domus mea cœnobium est. Cui Yolanda. Da ergò operam, ut cœnobio me committas, quando adeò tibi molestum me Sanctimonialem coram cernere. Quanquam non domo, neque finibus ullis mea circumscribitur conditio. Quocumque concessero, me mecum fero. Adsim tibi, vel absim, Sanctimonialis sum. Efferata magis his Margarita, evocat binas ex familiâ nobiles puellas. Harum custodiæ Yolandam committit, imperans, ne usquam solam esse patiantur. Si secus faciant, capite luituras. Perhorrescere puellæ, & severam nimis reformidare custo-

custodiam. Quibus Yolanda: At vos, ne, quæso, expavescite. Me quidem tutò & absque sollicitudine servabitis; haud fugiam. Tum mater: Quid? Non fugies? Enimverò, quæ me lusisti iam toties? Et tu matrem ausa fallere, hisce puellulis, servabis fidem? Cumque inter hæc puellæ aversarentur adhuc tam arduam Yolandæ custodiendæ provinciam, Margarita penè acta in rabiem, & ad Henricum conversa: Ergò tu, inquit, vide sis filiam tuam uti custodias. Ego tutelam abdico eius, quam neque meam posthac esse volo, neque in liberis meis deputo. Hæc frementem tanta incessit doloris acerbitas, ut effusus ingens lacrymarum imber, omnes quotquot aderant, pariter provocarit ad fletum. Ita inter miserabilem comploratiοnem atque lacrymas discessum. Clientes, quos ad concilium Henricus evocaverat, re infectâ rediêre domum.

Yolanda tantis excita iurgijs atque rixis, admodum afflicta licet, cõstanti tamen firmoque animo in conclave suum se recepit; ubi modicum altare, coram quo preces funderet, sibi comparaverat. Ibi procidens in genua, ita Deum precata est. Mitissime pater, qui nos condidisti tuas imagines, nostrorumque vulnerum medelam fecisti filij tui vulnera, huc ad me verte oculos. Vide tot angustijs atque anxietatibus constrictum animum. Per filij tui sanguinem te obtestor, affer opem, sollicitudines curasque leni, & quidquid est, quod à te me posset avertere, id à

me tu prior averte. Et quando me totam tuo Numini Majeſtatique devovi, ſerva quod tuum eſt. Pugnanti mihi, non pro me, ſed pro dignitate gloriâque tuâ, adde robur. Has inter preces iugibus manabat plurimiſque lacrymis, ceu per oculos effuſo cum fletu dolore grave pectus exoneraret; donec non ex ploratu magis, quam ex certando iurgandoque laſſa, iacens antè arulam, placidè obdormivit. Somno deinde ſoluta, tantum ſenſit animi ſolatium, ut toleratorum antè malorum penè immemor, totam in Deo ſpem poneret. Iniecta etiam tacita ſpes, fore, ut brevi finem mala hæc acciperent. Nec vana ſpes ea fuit. Siquidem haud multo poſt Montejoius aliam nactus ſponſam, Yolandæ ſponſalia ultrò diſſolvit. [Fuit autem Montejoij illa ſponſa Eliſabetha, filia Ermeſindis Comitiſſæ Luciliburgenſis, ex priore marito Thebaldo Barri Duce, de quâ Andreas Ducheſnius.]

Yolanda porrò hâc depulsâ ſollicitudine, ſtudium ſanctioris atque innocentis vitæ intendit. Procul habere, quidquid ſplendidum, atque magnificum. In aulicis parentum congreſſibus, comparere ancillari penè habitu. Non veſte pretiosâ velare corpus, non tenijs, non ſertis exornare caput. Si procedendum in publicum, ſi adeunda ſacra ædes, toga erat ſimplex, nec multicolor. Nec ex moribus tantùm atque vitâ, ſed ex ipſa adeo memoriâ altum & regale genus exciderat. Nulla iam parentum atque amicorum cura.

cura. Unus erat amor, Sanctimonialem esse egenam atque pauperem. De reliquo, quam ipsa rebus caducis, tam ipsi res caducæ perierant.

Hæc Yolandæ vitæ ratio matri tantum irarum concivit, ut eam non modo non animo, sed ne quidem ferre posset oculis. Itaque ab eâ se seiungere, nec pro filia habere. Matris exemplo animati familiares, Yolandam despicatui habere, non verbis amicis alloqui, non congredi, imò ne aspicere quidem. Tantumque fuit licentiæ, ut irridere auderent ministri. Prout quisque Margaritæ gratiam ambiebat, perindè Yolandam objurgabat, conspirantibus etiam in id famulorum infimis. Nec à vexando retinebat mulieres innata sexui modestia. Undique certatim probra quisque ingerebat, Yolanda interim ferente omnia placidè, ut miraculo esset patientissimæ virginis constantia. Nimirum contrà omnia adversa obfirmaverat devotum Deo animum.

CAPUT XIV.

Yolanda levi de causâ gravissimam matris iram incurrit. Hæc illam sub arctissimâ custodiâ Bellacostæ relinquit, & Viennam redit; undè indesinenter alios atque alios submittit, qui eam tentent.

CUm verò in infinitum penè procederet illud cum Yolanda certamen, cœpit aliquandò ma-

matrem tot rixarum atque iurgiorum tædere, & suam ipsa reprehendere nimiam adversus filiam severitatem atque duritiam. Statuit itaque eam tentare moderatius. Fortè per æstatem secundùm prandium filiam ad cubiculum suum solam secum abduxit, Henrico interim cubante foris, & aliquid capiente somni. Ac tum, Adesdum, inquit, carissima filia: hoc lecto unà mecum paululum conquiesce. Hoc loco æque ac tempore longæ dissensioni terminus aliquando detur. Miserescе, quæso, tui ipsius, miserescе patris, cui tu una pro omnibus liberis es; cuius tu antè omnes alios unicæ deliciæ & unicum solatium. Si quid hactenus intercessit iurgij, si quid offensionis; id potes tu perlevi momento tollere. Sine in viam te reduci, & matri vel tantillum obtempera. Cumque Yolanda percunctaretur, quid demum illud esset, quod à se tantopere contenderet; tum mater: Rogo te & obtestor, quandò decretum adeò fixumque tibi, esse Sanctimonialem, saltem ordini D. Bernardi te applica. De loco, tuum esto arbitrium; habebis faventem me ubique & adiutricem. Ad hæc Yolanda: Carissima mater, ut ipsa me defraudem? Sed id parvi refert. Ut Deo mentiar, datamque, immò iuratam ei fidem fallam? Ignosce mihi, quæso, mater. Hæc à me poscere, quæ mihi neque libent, neque licent, est perdere omnem operam. Mater his auditis, flere tam ubertim, ut lectum madefacerent effusæ lacrymæ, nec minus intereà flente

flente Yolanda. Cæterùm ut vidit mater, plus filiæ constantiam, quam suas valere preces, intermixto indignationi dolore victa conticuit. Ubi deindè Yolanda eam ceu consopitam iacere animadvertit, ne somnum matris interturbaret, cautè tacitèque consurgens abscessit. Sensit abeuntem Margarita: & subitò velut acta in rabiem, ingenti voce exclamat. Excutitur eo clamore Henrico somnus. Ad conjugem advolat. Videt se ipsam pugnis cædere insanientis modo. Audit maledicta iacere in diem & in suummet uterum, qui filiam talem luci dederint, cui sit odiosa atque invisa mater. Me aspernatur, inquit, fugit consortium, imò & aspectum meum, ceu dirum atque nefastum. Miseram me, quid egi? In quam tantum amoris contuli, in qua collocaveram solatium omne gaudiumque meum, hæc me torquet atque discrutiat. Et ne quid mœrori meo desit, suum non sentit crimen. Meumne potius, Yolanda, an tuum quærar infortunium? Quî huc delapsa es amentiæ? Henricus, ubi primùm effusæ coniugis querelæ spatium loquendi dederunt, rogat obstupefactus, quid hoc rei sit? Illa: Habet me despicatui tua filia. Hoc misera lamentor! Hoc ita torquet animum, ut nisi (quod te obtestor) vicem meam ulcisceris, scilicet tristitia & mœrore confecta emoriar. Ad hæc Henricus: Carà coniux, parce precibus, quæ imperare mihi potes. Una amborum est voluntas. Rogo itaque, ait illa, ut diris divoveas concupitum

 à filia

à filiâ tuâ Cœnobium, eamque æternùm inde omnibus viribus sejunctam atque amotam habeas. Nec mora Henricus flexus conjugis iratæ precibus, & irâ incensus ipse, Cœnobium detestatione prosecutus, jurat facturum, quod ipsa rogaverat. Ea res Yolandæ tam sæva accidit tamque atrox, ut omnibus perpessis antè malis præcellere videretur. Nec tamen de animi fortitudine atque constantiâ quidquam remisit, sperans, daturum aliquando certamini finem, pro quo pugnaret, divinum Numen.

Matrem porrò infracta illa Yolandæ mens pessimè affecit. Ergò pertæsa tot rixarum atque jurgiorum, stimulante irâ & indignatione, Bellacostâ discedit, relictâ ibi ceu in captivitate filiâ. Puellis duabus Heilivivæ & Beatrici severè mandat, ut quàm sua capita cara habeant, tantam adhibeant Yolandæ custodiam. Ne sinant esse solam, neu extrà arcem proferre pedem, non cuiquam, sive viro sive mulieri, sine se colloqui. His datis imperijs, Viennam proficiscitur. Non fuit tamen ea custodiæ severitas, quam Margarita jusserat. Fuit Yolandæ liberum per virgines, ex suo ingenio piè vivere. Itaque vigilijs, comprecationi, lectioni dare operam. Iam Sanctimonialem diceres. Iocos atque gaudia alijs permittere; ipsa in conclavi cùm Deo agere. Quæ omnis vitæ ratio ita Yolandæ grata accidit, ut captivitatem suam tanquam beneficium matri hilaris atque læta imputaret. Fuit & sua deindè custo-

custodibus virginibus à Deo data merces. Quippe ex quotidianâ Yolandæ consuetudine atque convictu tracto virtutis exemplo, Cœnobium posteà cum illâ pariter iniêrunt, ut suo loco referam.

Non diu latuit Margaritam hoc filiæ vitæ institutum. Perspecto itaque tam jucundam ei esse solitudinem, offensa eâ re, subornat ex D. Francisci familiâ, qui Yolandam à cœptis avertant. His intrà paucos dies submittit alios, ceu suppetias, ex vario sacratorum Deo hominum ordine. Pugnatum hic, sanè, acriter, nec uno genere. Increpabat alius, alius obsecrabat, alius Cœnobium, ad quod aspirabat Yolanda, maledictis impetebat, alius in eo totus erat, ut ordinem D. Bernardi cæteris omnibus anteferret. Fuit, qui blandiendo, humanâ gaudia & vitæ commoda, queîs, modo vellet, frui posset, mirificè commendaret. Sed fortior omnibus Yolanda, reponebat Deo datam fidem; nec se mutaturam, aut vitæ jucundæ desiderio, aut mortis metu. Ita repulsis sacris Deo hominibus, succedebat alterum agmen, cognatorum atque consanguineorum, qui pugnam redintegrarent.

Non dubitat hoc loco Hermannus, Yolandam tolerando atque certando, vel ipsis Catharinæ & Agneti fortissimis Virginibus anteponere. Harum certamina properatâ morte brevem reperisse finem: illam pluribus annis diuturnam traxisse luctam. Harum cruciatus atque tormenta, quam-

vis atrocia atque crudelia, uno alterove ſtetiſſe die: illius mala, etſi citrà ſanguinem atque vulnera, fuiſſe longiſſimi temporis. Certâſſe has cum hominibus, non modo non amicis, ſed feris atque barbaris & ſceleratè impijs: illi fuiſſe congrediendum cum ijs quos natura coniunctiſſimos nobis fecit, cum cognatis atque conſanguineis, cum patre & matre, quin & cum devotis Deo hominibus; quorumque monitis & præceptis ad Dei cultum impelli oportebat, hos ab eodem Deo omni induſtriâ avertere conatos. Fuit, certè, ſtupenda admodum Yolandæ tot malorum tolerantia, & ipſa malorum vis tanta, ut ijs quilibet alius, quam invictus Yolandæ animus facilè cederet atque ſuccumberet.



CA-

CAPVT XV.

Henricus Yolandam sororem Bellacostâ Viennam reducit, & Matri reconciliat; sed hæc brevi instaurat iras. Incessit Yolandam Philippus Frater. In conventu amicorum, pro ipsâ fertur sententia; sed Mater resistit. In alio Conventu Monasterij Eifliæ à Conrado Archi-Episcopo Coloniensi defenditur. Vincit Hymana blanditias, & increpationem Matris. Henricus Frater obstat ne conijciatur in carcerem.

CONtigit Henricum, Præpositum ædis maximæ Coloniensis, Yolandæ amantissimum illum fratrem, advenire Viennam. Is cognito sororis miserabili statu, plurimùm indoluit, moxque Bellacostam in comitatu virorum nobilium, clientum suorum, equo contendit. Facilè æstimatu est, quàm fuerit Yolandæ iucundus charissimi fratris adventus; qui eam protinus Viennam reduxit. Margarita, dissimulato tantisper animi dolore, filiæ it obviam. Nec mora, inter matrem eamque reconciliata ab Henrico Præposito pax, saucijs tamen adhuc, hinc amore, hinc mœrore, animis. Undè obducta magis, quàm sanata vulnera, brevi recruduêre. Siquidem Margarita haud multò post aggressa Yolandam: Longa

mora est, inquit, dum te alloquor, filia. Cede, per Deum te obtestor, ut habes? Dic, te oro, an meliora nunc cepisti consilia? Mene iam audies, & ex voto meo D. Bernardi Ordinem tandem aliquando sectabere? Contrà Yolanda paucis: Nec velle se, nec posse alterius esse Ordinis, quam sui. Hoc dicto irata mater haud benè coalitam rupit concordiam. Iterum increpat, obiurgat, stomachatur, minatur. Grave id admodum Henrico Yolandæ fratri. Non ita fratrum alter [Philippus,] cui deindè cessit Viennensis Comitivæ dignitas. Is matri debacchanti se adiungens, acerbissimè Yolandam aggreditur. Quò te agit insanus amor? Si virum deperires profanum, imputarem id ætati tuæ. Nunc cupidine Prædicatoris unius incensa, ad Cœnobium ita abriperis, ut nihil sacrum neque sanctum ruentem retinere possit.

Yolanda hoc dicto, ceu telo icta, forti animo reclamat: Quod ais tu, falsum est. Propalam tibi edico, si nescis, virum me neque concupiscere, nec concupivisse unquam. Nec deforet, crede mihi, te longè melior, cui nuberem, si is esset animus. Proindè, si sapis, stultê stolideque loqui desine. Inter hæc mater irâ effervescens, discursat, atque per obiurgationes & fremitus maritum ubique perquisitum, querimonijs onerat, iam mœrore tristitiâque gravem, vel quod perpetuis Margaritæ intemperijs dissidia sine fine gliscerent.

. Yolanda interim in sacello, seu ibi inita fuerat antè dictæ pacis conciliatio, seu eò ipsa confugerat, laxans frena dolori, nullùm flendi modum faciebat; donec adfuêre eius fratres, [Fridericus & Henricus.] Ii adhibito, quantum licuit, solatio, eam abduxêre. Postero die, dum mensæ accumbitur, Margarita, nescio undè acceptâ iurgandi materiâ, in Yolandam invehitur, alia super alia probra ingerens. Quæ cum Yolanda tacitè patienterque exciperet, eo silentio ita exacerbata est mater, ut intendens iras, eousque indesinenter obiurgando insisteret, donec Yolanda effusa in lacrymas, coacta est mensam impasta deserere. Secutus eam Henricus frater, dolorem utcumque lenivit.

Is porrò perpendens, hinc sororis inter tot mala patientiam, indè matris perpetuam animi ægritudinem; veritus, ne infelicem ea res haberet exitum, statuit turbas hasce componere. Concilium, quantum potest, maximum convocat. Convenêre cum Henrico & Margaritâ Parentibus, & fratre [Friderico, ut opinor] consanguinei atque agnati. Ad hæc ex clientibus, viris nobilibus selectissimus quisque. Exciti & Sacerdotes, & ex Cœnobitis Prædicatores, Franciscani, plurimique alij virtute spectati homines, nec prætcritis mulieribus. Ubi conventus coiit, rogat Henricus Præpositus, ut etiam atque etiam videant, quem hisce turbis atque controversijs finem imponant. Multa fuit diuturnaque deliberatio. Pertentatus

haud semel Yolandæ animus. Sed illa nunquam de proposito dimoveri potuit, omnibus ob tantam puellæ constantiam admiratione defixis. Itaque in commune decernitur, Yolandam haud esse cogendam, nec moram ullam afferendam, quin id genus vitæ, quod sibi præstituerit, liberè amplectatur. Sed his mater cum stomacho reclamat, Huic omnium vestrûm communi sententiæ, una ego renitor. Prout perspecta mihi Vallis MARIAE misera conditio, filiam ibi meam inter Sanctimoniales adscribi, me vivâ, haud, sanè, patiar. Quod si Prædicatorum Ordinem ei tandem decernitis, Argentoratum, aut ad aliud eius generis Cœnobium procul hinc ablegate. Et si ita libet, habeant sibi puellam Prædicatores, & ad exteras regiones quàm longissimè deferant. Ut ne ad Vallem unquam perveniat, omnia moliri, omnia pati certum est. Ita solutus sine profectu ille conventus.

Alium deindè Conradus Coloniæ Archi-Episcopus indixit in oppidum Monasterij Eifliæ, iussis adesse consanguineis suis, & ex clientum numero præcipuis. Advenêre Vienna, Henricus comes unà cum Margarita coniuge, & Yolanda. Hæ ut tenuere oppidum, mox ivere salutatum Archi-Episcopum. Margarita quidem excepta est peramanter & honorificè. At dum Yolanda, pro more illorum temporum, Conrado vellet offerre complexum, ille valido eam ictu perculit, spectante aulicorum omnium, qui frequentes aderant,

erant, comitatu. Addidit plurima convicia; [quod eum in ſpeciem & tentandi cauſa magis, quam verè iratum feciſſe, arbitror.] Yolanda nihilominus incredibili pudore affecta, ferre tantam indignitatem debuit. Conventu deindè habito & finito, Conradus Henricum Comitem adit, eumque & Præpoſitum eius filium ſeorsùm allocutus, iubet hunc è veſtigiò ſororem ſuam accerſere. Quæ ubi adfuit: Cur rem, inquit, moliris ætate tua maiorem? Sed & diſcors parentibus, eorum in te concitaſti iram. Vide quo te tua abripuerit pervicacia. Sed age. Flectere, dum licet, & redi cum parentibus in gratiam. Ego conciliator atque pacificator lubens adero.

Hæc prolocutum Yolanda rogat audiri ſe ſolam ſinè arbitris. Nec mora Conradus manu prehenſam, urbanè ad proximum abducit parietem. Ibi tum Yolanda, Offenſum te eſſe miſeræ mihi, & fama comperi & re ipſa ſentio. At quæſo te, mihi per plurimos annos inter innumera mala ægrum atque afflictum trahenti animum, aliquando parce. Nî profanâ hâc vitâ liberor, perijt deinceps meum omne gaudium. At, ut mihi videre, inquit Conradus, perijt tibi potius mens atque ratio, quæ parentibus atque amicis ita reſtitas. Me audi, eorumque gratiæ te redde. Tum Yolanda: Satius profectò eſt, inquit, me, quod Deo appromiſi, reddere. Sacro Ordini me devotam, non amor parentum, non mille mortes à propoſito unquam amoverint. Conradus

dus ad hæc cogitatione non nihil defixus, mox-que iterum Yolandam variè pertentans, tam firmam, ſtabilem, immobilemque reperit, ut quid ultrà diceret, non haberet. Itaque è veſtigio reverſus ad amicorum cœtum: Ludimus, inquit operam. Certantem tantis animis pro Deo, eſt impugnare nefas. Me quidem auctore, non modo nolentem vi cogere ſuperſedebitis, ſed ut ad optata perveniat, planè auxilio eritis. Ingrata ea accidit Margaritæ oratio; & Conſilium, inquit, dediſti, paucis ſane & breviter, ſed non breve. Res ea moram poſtulat.

Convenerant inter alios Salſinienſis Antiſtes Hymana, & alia Conradi ſoror, eiuſdem quoque inſtituti Antiſtes, quibus iam vetus & ſæpe irritum, & tamen indefeſſum propoſitum, Yolandam ad ſuum Ordinem pertrahere. Eæ blandimenta & preces tum quoque ſine fructu ingeſsêre, cedendumque eis fuit invictæ Yolandæ voluntati. Ubi deinde Margarita, à Conrado digrediens, ad hoſpitium rediit, quo diverterat: continuò Yolandam abſque arbitris aggreſſa, maledictis & convitiis obruere cœpit, nec obiurgando atque increpando finem ullum facere, donec Præpoſitus ſuperveniens ſororem matris iræ ſubduxit. Nec fefellit Margaritam, ſolatio eſſe Yolandæ, extrà ſuum conſpectum agere cum fratre. Quare neque hoc paſſa ei eſſe ſolatii, filiam aliò avocat. Senſit quoque Henricus, eſſe è re ſororis ſuæ præſentiam ſuam. Eò itaque, quò mater exciverat,

verat, Yolandam deducit, & impoſterum, ubi opportunum, frequens ei adeſt. Sed parum ea induſtria matris iram compeſcuit. Inſtaurata convicia, nec ceſſatum noctes neque dies, nec immunibus famulis atque ancillis. Quippe ſi quæ dabantur Yolandæ induciæ, tum in eos effusâ rabie, illi luebant. Id quod Yolandæ multò erat acerbiùs, quam ſi in ipſam tempeſtas illa ingrueret.

Cæterùm dum certamen illud in longum trahitur, conſilium fuit nonnullorum ex Henrici Comitis miniſtris, quorum erat haud dubia aſſentatio, Yolandam ſolam ſaxo includendam; [quod ab Hermanno traditum, non diffiteor parum me aſſequi. An ad ſaxum, velut illam in fabulis Andromedam, ferro devinctam volebant?] Alij ſuadebant, in carcerem dandam tam diu, donec pacem atque concordiam, quam diſſidia cum parentibus malle, ultrò condiſceret. Et vehementer id Margarita probabat ſed Henricus: Præpoſitus obſiſtens damnanſque conſilium, rogat, quo ſcelere ſua ſoror vincula commeruerit, quam ne vi quidem invitam cogere oporteat? Haud abnuerim, inquit, noſtrûm omnium eſſe votum ut parentibus obſecundet; ſed id impetratum, haud extortum volumus. Ita finis ei quoque conventui impoſitus.

CA-

CAPVT XVI.

Sacellanus in Paſchate Eucharistiam Yolandæ porrigere detrectat. Ipſa in nuptijs fratris ſui Friderici cum filiâ Comitis Salmenſis, ſe ornare & tripudiare cogitur.

FUit ut in Paſchate [anno MCCXLVII.] Yolanda peccata ſuæ Sacellano confiteretur. Secundùm confeſſionem rogat, ut fieri ſolet, dignamne iudicet, quæ ſacro epulo paſcatur? Cui Sacellanus: At tu te ipſam tuamque conſcientiam conſule. Immorigera parentum iuſſa excutis, eoſque tibi infenſos tua fecit pervicacia, & ſine crimine ſperes te Chriſti corpore paſci poſſe? Non arbitror ego, ſanè; quanquam tui me miſeret. Hic Yolanda: Quæſo te, ſi quod eſt meum ſcelus, id doce reſipiſcere paratiſſimam. Rupiſti, inquit ille, Dei legem, contumax obedire matri, & roges, quod ſit tuum ſcelus? Agnoſce, & fatere crimen: venerare matrem & cole, divinamque legem infringere tandem aliquando deſine. Illa: Divinas leges ut ego infringam? Omni ope enitar, profectò, ne unquam id faciam. Certum mihi, matrem, quantâ obſervatione poſſum & honore, proſequi. Sed antè omnia, volo Deo vota ſolvere, meque ei tradere. Atqui id ipſum, ait ille, vult tuà quoque mater; concordibus animis

mis id quidem agitis: tantùm loci intereſt. Illa quippe tibi cœnobium nobile deſtinat, & preditum vitæ commodis: tu legiſti locum miſerum & deſpicabilem, indignum genere tuo & maioribus tuis. Cœnobio meo, inquit Yolanda, voto adſtricta ſum, nec fallam Deo voti fidem. Quanquam, ſi res foret integra, etſi miſerabilius atque egenum magis ullum uſquam hic haberet orbis cœnobium, huc me convolaturam certò ſcitò; adeò non terret egeſtas, non inopia, non ignobilitas, non contemptus, aut ſi quid horum eſt. Sacellanus ubi Yolandam ita animo affectam vidit: Non habeo, inquit, quod te ultrà horter atque moneam: cumque hoc dicto, ſacro epulo non refectam dimiſit, incredibiles profundentem lacrymas. Urebat animum antè cetera omnia, quod à divinâ menſâ reiectam atque repulſam ſe cerneret. Itaque lacrymis alijs alias propellentibus, velut quodam imbre templi ſolum perluebat, toto matutino tempore in eo mœrore atque luctu tranſacto, donec puella à cubiculis moræ eius impatiens ſupervenit, atque ita flentem reperit. Et quid eſt, inquit, quod te affligas? Narrat tum Yolanda, ſe à Sacellano increpitam, prohibitamque à ſacrâ menſâ, quæ eo tempore Chriſtianis omnibus pateat. At tu, ſubinfert puella, ne Sacellani causâ turbere. Parum ille res tuas aſſequitur, & immeritò te à ſancto epulo arcet. Tu accedere ne dubites meo periculo tuoque merito, quo nos omnes, profectò, longè ſu-

peras; etiam ipsum adeò monitorem reprehensoremque tuum. His Yolanda metu atque sollicitudine liberata, Sanctissimo Christi corpore pasta est. Mox animo tantùm cælestium dulcedinum influxit, ut gaudij magnitudo omnem repentè deleverit præteritorum malorum memoriam.

Haud multò post secutæ sunt nuptiæ [Frederici] Yolandæ fratris. Sponsa ei allecta filia Comitis Salmensis, [Henrici, ut opinor :, is enim hoc tempore Salmæ Comes erat, cuius matrem fuisse reor Elysam, quæ anno MCCXX. virginibus in inferiore Prumiâ ius patronatus vici Sigendorfij donavit, ut ex tabulis earum virginum comperi. Fuit porrò nobilissima Salmensium Comitum prosapia, generisque auctorem habuit Giselbertum Comitem Luciliburgensem. Sedes eorum prima in Arduennâ, ubi hodieque vetustissima eius nominis arx.] Ceterùm Margarita, ut filij nuptias non modo celebres & magnificas, sed etiam hilares atque festivas efficeret, nihil non excogitavit. Inter ceteras curas Yolandam ita solam alloquitur. Scire peruelim, cara nata, quî hæc tibi probentur, quove cultu atque habitu ornata, velis harum nuptiarum festivos agitare dies? Negavit Yolanda festivos se posse dies ullos agere. Rogat illa, Cur, quæ alias, cum tibi libitum, hilaritate omnia implere noveras, nunc gaudere & lætari renuis? Vide, te amabo, quid agas, & ne non accipiendis festivè hilariterque amicis nostris, sis in noxâ, quandò tu iucundi-

tatis

tatis nostræ dux es & magistra. Tum Yolanda Nihil mihi lætum, nihil iucundum, nisi degere in meo cœnobio. Hîc mater repentè versa in rabiem, ad Yolandam furibunda procurrit, inclamans: Aut lætandum tibi est faciendumque quod rogo, aut moriendum, vel tibi vel mihi. Confestim, sortire, utrum mavelis, aut moriêre. Yolanda intelligens præcipiti matris iræ dandum locum, placidè, Quandò, inquit, ita necesse est, mater, lætam me hilaremque, ut maximè potero, præbere conabor. Margarita, æque placari atque irasci facilis, Hoc si feceris, inquit, me in rebus omnibus adiutricem atque auxiliatricem experiêre. Residebat interim reconditus Yolandæ animo dolor. Sed dissimulavit, & ornari se in pronubam & ad omnem muliebrem elegantiam vestiri permisit. Multos subitus ille cultus fefellit, existimantes, deseruisse Yolandam austeræ vitæ consilia.

Sub hæc Viennam sponsa adveniens, gaudij atq; lætitiæ cuncta complevit. Yolanda inter primos occupans salutandi officium, processit obviam. Comiter salvere iubet, & omnia sua dicat obsequia. Unicum rogat sibi dari, ut ne tripudiandum sit sibi. Hoc inquit me adiuta, & de cætero pro ancillâ me. sorore tuâ utere. Sponsa, quam splendor generis & magnifica indoles lautitiæ & voluptatum amantiorem fecerat, Yolandæ rogata longè reiecit. Si tibi animus Sanctimonialem agere, inquit, si religionis metu teneris, ijs

 puel-

puellis te applica, quibus talium rerum amor. Me quidem, ſanè, non delectat inertia, ſed riſus, ioci, cantus & choreæ. Quæ ſi tu reſpuis, unâ operâ ſociam me reſpueris. Illiberalis ſponſæ oratio Yolandam haud parum commovit; ſed preſſit dolorem; jamque prorumpentes lacrymas, ne obſervata reprehenſionem incurreret, vi compeſcuit. Secuta ingens ſalutantium & promiſcua gratulatio, in tantùm, ut neque à cantu non nulli temperarent. In eâ omnium lætitiâ alienus Yolandæ animus longè diſcordabat. Siquidem ſpecie externâ ſimulatum mutuata gaudium, intus mœrebat. Poſt nuptiales epulas; proſiliêre omnes ad choreas, nullo neque ſexus, neque ætatis diſcrimine. Una ſe ſaltui ſubduxit Yolanda. Quod ubi animadverſum, ægerrimè tulêre, antè omnes pater & mater cum ſponſis. Et ſponſa quidem ſeorſum conſidentem Yolandam adiens, Surge, inquit, te obſecro, & nobiſcum tripudia. Si quod hâc in re crimen eſt, id meum eſto. Quanquam quid crimen voco, ſaltatione modicâ exhilerare parentes tuos noſque omnes? Cum hoc dicto Yolandam prehendit, & invitam tripudiatum deducit. Choreæ modus pro eorum temporum moribus hic erat. Anteibant ſymphoniaci duo, fidibus iucundè canentes. Sequebatur ordo tripudiantium, & in ijs Yolanda, incedentis ſpecie gradiens, nec ſubſiliens ad numeros, ſed inconditè, velut artis imperita. Senſêre mox fidicines, ex incompoſito Yolandæ inceſſu turbari

ad

ad modos attemperatè subsilentium æquales motus. Nec latuit affectari ab eâ saltandi imperitiam. Ergò mater vi minisque adigit, ut quando alieno ductu saltare nollet, ipsa choream duceret & præcineret. Reluctari Yolanda. Sed parendum fuit. Cantavit, verùm ineleganter & absque artificio, ut satis appareret, non respondere ori canentis animum. Et ne hæc quidem fuit diuturna fictio. Mox enim prorumpentes cum multo fletu lacrymæ, eam ab ulteriore cantu prohibuerunt. Hinc ex gaudio mixtim secutus mœror & indignatio. Alij miseratione Yolandæ contacti illacrymabantur. Alij detestabantur intempestivam perturbatricem lætitiæ. Alij quoque irridebant, ex incessu habituque corporis neglecto, saccum refertum appellantes. Et palam hæc iactabantur ita, ut audiret Yolanda. Ad summam, quæ aliàs Viennense palatium, imò universam patriam hilaritate & gaudio replere solebat, ea nunc, ceu felle affuso, omnem corrumpebat lætitiæ gustum. Fuêre tamen ex eo nuptiali conventu cordatiores aliqui, qui perspectâ Yolandæ tantâ animi tristitiâ, matrem adeuntes, maximoperè orarent, ut filiæ se benignam atque clementem præberet. Et quandò cerneret tam invictam eius in Dei rebus constantiam, caveret ne nimium avertendo, noxam fortasse contraheret. Sed in irritum eæ interpositæ preces. Persistere in imperijs Margarita: iubere, et si iussa parum valerent, cogere ad festivum elegantemque or-

ornatum, ad iocos, risum, cantum & saltum. Ita toto triduo per summam violentiam Yolanda fingere debuit, quod horrebat animus, mixto plerumque fletu & lacrymis. Tandem miserta eius aliquantùm mater, pertæsa etiam tot, quibus eàm undique aggrediebatur, assultuum, hoc dedit, ut à choreis libera esset, modò cultum in veste splendoremque suis natalibus dignum adhiberet.

CAPUT XVII.

Parentes & amici pro Yolandâ apud matrem intercedunt. Hæc Conventum magnum indicit super rebus filiæ. Adest ad Conventum Waltherus Meisenburgius. Margarita subitò à Deo tacta, & à Walthero monita, flectitur, & veniam à Deo & à filiâ petit, addicitq; imposterum suam ei operam.

ADerat interim nuptialium dierum terminus, iamque abitum adornabant hospites: cum eorum nonnulli, perspecto Yolandæ tanto rerum mortalis vitæ fastidio, matrem conveniunt, orantes, ut tandem filiæ desiderio obsecundet, sinatque ad Cœnobium suum pergere, & immerentem interminabili illo cruciatu vexare desinat. Margarita, mulier haud parum callida, differe,

differre, quàm reijcere amicorum preces, ſatius eſſe duxit. Spatium ergò deliberandi petit. Rem eſſe conſilij. Evocaturam ſe undique, quibuſcum maturè omnia perpendat. Nec deſuit dicto fides. Exciti prudentes ac probi viri, etiam ex Ordine Prædicatorum. Id palam agebat Margarita: at ſecretò miſſis ad Franciſcanos nuntijs, rogavit, ut ad conventum adeſſent, ſibique operam darent.

Erat ei in animo Prumienſium Sanctimonialium collegio Yolandam tradere. [Parthenonem illum condiderat anno M. C. XC. Gerardus Prumienſis Abbas, unà cum Aleydâ Comitiſsâ Mulbachiâ ſorore ſuâ, attributâ ædiculâ DD. Gordiani & Epimachi Martyrum, honeſtiſque fundis, datâque Antiſtite Sophiâ Ordinis D. Benedicti.] Sed inſtitutum id Margarita mutare decreverat, & pro eo leges habitumque D. Bernardi introducere, ut eò loci vel alibi extrà Prædicatorum Ordinem, quod ſummè ardebat, filiam collocaret. Sed caruit eventu id de Prumiâ Conſilium. Nec felicius de evocatis ad Conventum Franciſcanis res ſucceſſit. Siquidem ipſis neſcio quâ causâ non comparentibus, venêre Prædicatores, & inter eos Waltherus Meiſenburgius. Quem ut mox affuturum Margarita cognovit, ſubitò miſit, qui ſuo nomine rogaret, ut per proxima tantiſper extrà conſpectum Henrici Comitis ſubſiſteret, donec ei ipſa occurreret. Nec latuit Yolandam propè abeſſe à Viennâ Walthe-

rum. Ergò per fidos homines clam dat ad eum litteras, & quæ anxietas premeret constantem tamen infractumque animum, edocet. Excitos à matre Franciscanos, sed horum hactenus adesse neminem: iratum patrem: se matri exosam. Waltherus, quàm lætus Yolandæ constantiâ, tàm eius calamitate mœstus, clam quoque rescribit consolatorias, quidque in eo rerum articulo agendum censeat.

Haud multo post Margarita Waltherum adit, cum eoque sine arbitris collocuta, cautè in omnem partem versando explorat, si quid de Yolanda expiscari possit. At Waltherus Yolandæ monitis circumseptus, omnem tentanti præclusit aditum. Ergò Margarita, iusso in diem crastinum eo loco residere Walthero, unde venerat re infecta rediit, Walthero interim de crastinæ diei eventu magnoperè sollicito. Benè manè adsunt à Margarita nuntij, qui accedere iubent. Waltherus ubi advenit, haud æquis animis acceptus est. Omnibus ingratum atque exosum, Henricus, ne in conspectum quidem dari est passus. Una Yolanda advenisse eum mirificè gaudebat, etsi eius gaudij fructu caruit, cum vitare eius congressum deberet. Et verò additæ ei custodiæ, satis per se à colloquio atque congressu arcebant, Margarita tamen ex insitâ animi integritate, dissimulatâ tantisper irâ, comiter atque urbanè Waltherum accipit.

Inter hæc (mirum dictu!) Margaritæ saxeum illud

illud ferreum que pectus ita repentè fractum atque mollitum est, ut id palam totâ domo pateret, stupente omni familiâ, adeò mutatum Dominæ animum. Rediverat ipsa secum in gratiam, pulsâque irâ, maternum ergà filiam amorem penitus revocaverat, sui ipsius victrix tantò nobilior, quantò altiores ferocioresque spiritus à naturâ inditos acceperat. Primò Waltherum amicissimè rogat, ut ad Sacrificium celebrandum se compararet. Ille, cum Margaritam rectè constitutam beneque affectam cerneret, familiariter eam & blandè compellans, Quæso te, inquit, quid tandem tibi decretum de tuâ filiâ, quam ex cœnobio, ceu ex ipsâ Dei domo subducendo, violasse videris divinas leges? Te amabo, perpende quid egeris, & Cœleste Numen verere. Ut maxima sit Dei clementia, non est tamen perpetua. Suis definitur illa temporibus. Postquam diu dissimulando seipsam sustentavit atque retinuit, tandem moræ impatiens, quamvis serò, effundit sese, & dilationem severitate compensat. Tum tu, scilicet, deprehensa, ferientem cædentemque Numinis manum effugies? Per Deum te obsecro, adverte ad hæc animum. Ne tibi, quàm tua salus, potiores sint hæ res caducæ atque labiles, quarum fundamentum est fragilis & liquescens sine fine glacies. Margarita, hâc Waltheri oratione oppidò permota, altè ducto suspirio, & mœrore audaciam vincente pristinam, verbis supplicibus & demissis, Vir venerande, inquit, en Deo

rebellare iam nunc desino. Do victas manus. Pudet antè actorum, & peccasse pœnitet; & si est gratiæ ullus locus, te Deumque veniam supplex, & pœnam subire meritam parata, rogo. Cùm hoc dicto, plurimis mersa lacrymis, antè Waltheri pedes humi se prosternit, veniam identidem exposcens. At Waltherus amanter amplexam, humo tollit, moxque ad Sacrificium cum cantu celebrandum sese confert.

Peractâ re divinâ, mater Yolandam ad Waltherum salutandum deducit. Yolanda necdum cognitâ matris pœnitentiâ; cautè sibi agendum censuit. Itaque, seu litteris Waltheri antè memoratis admonita, seu suomet artificio, pressit animi gaudium. Maduêre tamen etiam invitæ oculi. Ita tum discessum. Prandio deindè sumpto, oblatisque Deo gratijs, intereà dùm ceteri variè laxant animum, Margarita cum Yolandâ Waltherum à cœtu seducit, filiamque ita alloquitur: Mater ego tua supplex à te veniam peto. Nec arrogantiæ imputes, quod me matrem appellavi, quæ tot in te mala contuli. Si te cruciando vexandoque parum me pro matre gessisse videor, feci tamen, mihi crede, quod proximum est: feci, inquam, materno animo. Quod si ne hæc quidem apud te locum habet excusatio, age, me ream ultrò confiteor, damnoque stultitiam ipsa meam. Tu me anteisti longè sapientiâ, quæ immodicè furentem potuisti ferre tot annorum constantiâ. Accedit tàm laudi tuæ, quàm vituperio

perio meo, quod causæ bonitate me superasti. Tu Deo devota Numen eius sequebâre: ego impia conabar avertere. Sed quàm me criminis hujusce pœniteat, malo ut rebus imposterum experiare, quam ut verbis contester.

Quantùm adhuc dura atque aspera tibi exstiti, tantùm posthàc, si non amplius, benignam benevolamque & tuis cœptis obsecundantem, senties. Hæc mater, præ dolore flens, dicebat filiæ flenti, sed præ gaudio. Quippè erexerat animum repentina illa matris mutatio. Læta ergo, non tàm condonat, quàm imputat matris amori tot insectationes. Obtestatur per Deum, ut quod pollicita sit, det strenuam operam, ut in cœnobio concupito votis fruatur. Ad hæc mater promissa iterans, ait, per se quidem nullum defore aut laborem aut industriam. Ita inter matrem & filiam redintegrata gratia, deindè inconvulsa stetit, Margarita constantissimè ad extremum usque exequente promissi fidem. Acta hæc pridiè profestæ diei Sanctorum omnium.



CAPUT XVIII.

Festo die Sanctorum omnium in concilio pronuntiatur sententia pro Yolandâ. Sed pater eius sub mortis minis se opponit. Amicis novam nuptam Friderici visitantibus, Yolanda cogitur tripudiare. Pater longâ oratione eam adorsus & victus, in gravem mœrorem incidit. Nova nupta Yolandam ridet.

POsterâ luce benè manè convenerunt Viennam plurimi optimates, celebraturi de more cum Henrico atque Margaritâ sacras ferias. Qui in his eminebant, aulam palatij introgrediuntur, omnes Henrico grati acceptissimique hospites. Unum Waltherum nec videre oculis, nec animo ferre poterat; ut latendum ei fuerit, fugiendusque Henrici conspectus. Iam dies Sanctis omnibus sacer advenerat. Margarita, dolens Waltherum, velut reiectum atque repulsum, à cæterorum consortio prohiberi, unius odio mariti; eum rogat, ut iræ tantisper immemor Waltherum in convivarum numero mensæ adhiberi patiatur. Ille resistere, nec posse se, nec velle coram cernere filiæ suæ raptorem. Insistere Margarita, attenderet, ne diem tam sacrum atque sanctum odio & indignatione contaminaret. Tandem Henricus: Quando,

do, inquit, tantum est vestrum hominis mihi invisi desiderium, vos eo fruimini. Itaque Margarita Waltherum cum socio invitat ad mensam. Quâ remotâ, initum de rebus Yolandæ consilium. Consedêre selectissimi & sapientissimi quique, iussis etiam adesse Prædicatoribus & Yolandâ. Deliberationis summa erat, quo pacto terminus daretur diuturno de Yolandâ certamini. Variavêre sententiæ. Erat, qui sententiæ preces intermisceret, rogans, ut vel serò Yolandam viro locarent. Sed opposita mox huic contraria sententia. Optimus quisque in id conveniebat, ut Yolanda in causâ suâ non penderet ex alieno arbitrio. Diceret ipsa per se, quid censeret? Illa in cœtu confidens, iteravit paucis toties à se dicta, contestataque; abdicasse se res caducas: devovisse Deo se, vitamque suam. Se voto suo staturam, utcunque cœptis succedat. His auditis, haud facilè itum in sententiam. Tandem tamen in id consensere omnes, longè satiùs esse Yolandam cœnobio suo volentem permittere, quàm invitam coactamque ab eo avertere. Probavit continuò sententiam Margarita. Rogant deindè omnes Henricum, probaret & ipse sententiam. Is, vir alioqui haud pronus ad iram, repentè vehementer excanduit, & Quisquis, inquit, hoc à me poscit, procul eiectus esto gratiâ ac favore meo. Ego, ut filiam meam abduci à me patiar? Quisquis hoc attentaverit, videat, profectò, ne capitè luat audaciam. Has coniugis irati minas

Mar-

Margarita silentio, callida mulier, excepit, ne repugnando commoveret magis iritatum eius animum. Atque ita solutus est conventus.

Yolandam porrò eæ patris minæ ita conturbaverunt, ut primò vim magnam lacrymarum ei excusserint, deindè etiam lecto affixerint, ex animi ægritudine labefactatâ corporis voletudine. At Waltherus cum cerneret exosum se invisumque Comiti, Viennâ discessit, solatus antè Yolandam, iussamque in Deo collocare spem omnem suam. Ipsa, ut primùm valetudo rediit, aliam orsa vivere vitam, vitavit imposterum hominum frequentiam, sola fere residens in cubiculo. Iocorum, cantilenarum, saltationum, ne quidem recordari. Si quando prodeundum ad salutandum hospites, post breve officium, mox redire in conclave. Ibi per omnia pro Sanctimoniali se gerere: divinos psalmos atque hymnos statis horis recitare: silentium perpetuò servare. Si quandò colloquendum, sermo erat brevis, & circumspectus, ac moratus, ut nihil esset, quod reprehenderes. Facta perinde, ut verba, inculpata & plena disciplinæ. In his omnibus favor matris aderat. Quin adeò in tantùm obsecundabat his filiæ studijs, ut excubitorem, qui in arcis specula vigilabat, oraverit, ut Yolandam antè lucem excitaret. Illa ergò consurgens è lecto, Psalmos Davidis recitabat, & quò tegeret pium sola morem, mox iterum tantisper decumbebat. Et quanquam periucundum ei erat ita vivere, corrumpebat

rumpebat tamen id gaudium perpetuus mœror, quod procul à suo cœnobio, tanquam exul, agitaret.

Non multo tempore post hæc, venêre visum novam nuptam [Friderici] plurimi proceres, præsertim è juventute. Margarita, quamvis placata iam Yolandæ, voluit eam cohonestare officium hospitalitatis, & cultum corporis tantisper resumere. Et parendum fuit Yolandæ maternis imperijs. Excepti hospites pari humanitate, quâ magnificentiâ. Epulatum lautè atque iucundè. Epulas secuti cantus & choreæ; quo & invitata magnoperè Yolanda, nullis precibus ad saltandum induci potuit, donec tandem ipse parens adfuit, precibus maximis orans, ut vel ad breve momentum choreas cum ceteris duceret. Dare se ei fidem & sanctè polliceri, si in hâc re morem sibi gerat, fore, ut & ipse voluntatibus eius obsecundet, atque ad suum cœnobium reverti patiatur. Hæc ubi ita pollicitus est, manu eam prehendit. Mox advolat nobilis aliquis adolescens, & cum Henrico ad chorum eam deducit. Vix orbem unum incessu potiùs, quam saltu, confecerat, cùm exorto ubere fletu è ducentium manibus se explicuit, moxque derelicto cœtu abijt. Hîc repentè pro gaudio successit omnium mœror. Antè alios Henricus, magno ex tali discessu filiæ concepto dolore, eam secutus, amarè copioseque flentem reperit. Hîc ipse quoque flens, quidquid suadebat hinc mœror, hinc pater-

nus

nus amor, in orationem contulit. Querebatur, cur se deserendo, mortem patris acceleraret? Neque enim alio telo certiùs vitam sibi posse adimi, quam eius absentiâ. Quod viveret atque spiraret, eius amore fieri. Caros sibi quidem esse ceteros liberos suos, sed ipsam se deperire. Redderet ergò tanto amori vicem. Aut si redamare pigeret, saltem miseraretur infaustum patrem, nec fugâ interimeret, quem remanendo beatissimum posset efficere. Multo Yolandæ fletu accepta hæc patris, identidem inter verba lacrymantis, oratio. Nec tamen flexus eius animus de sententiâ quidquam remisit; sed modestè, quantum sinebant lacrymæ, parentem obtestatur: meminisset, mortales se creâsse liberos, nec amore ullo placari posse fata, quin omnes tandem eripiant. Et se quoque in hoc esse numero, quin & ipsum patrem. Ingens quidem esse vinculum, amorem parentis atque liberorum; id se neutiquam diffiteri. Sed morte rumpi tandem atque dissolvi hunc nexum, etsi mille annorum spatio coalitum ac firmatum. Hanc esse conditionem humanæ vitæ, & miserabilem, sanè, & fugiendam omnium virium copiâ. aspirandumque ad vitam immortalem. Eam autem, donum esse cœleste, & tribui Deum amantibus. Videret ergò, ne retardando pia filiæ vota, parum se gereret pro amatore Numinis. Se quidem magnoperè vereri, ne eâ re noxam non levem in se conferat. Et hoc metu longè cruciari se magis, quàm commiseratione

tione mœroris & lacrymarum eius; quanquam & hæc vehementer animum suum convulnerent. Sed ignosceret sibi, si posthaberet hæc omnia æternæ Dei amicitiæ. Hanc ambire se, hanc prosequi, etiam voto concepto; nec prosequi desituram quidquid irarum in se desæviat, quidquid etiam terreant mortis minæ. Ea Yolandæ dicta, ita sauciavêre pectus patris, ut non modo omne ei gaudium, sed etiam valetudinem in reliquum vitæ tempus eripuerint.

Aliud deindè successit Yolandæ cum sororiâ recens nuptâ bellum. Hæc assueta delicijs & corporis lenocinijs, non ferebat Yolandæ illam vitæ severitatem, fugam humani consortij, precationes assiduas, ieiunia, vigilias, & ex his secutum in vultu pallorem atque maciem, liventibus ipsis adeò oculis. Hæc taliaque, ubi dabatur locus, sine fine culpabat, risu intermixto atque cavillis. Nec latuit Yolandam sororiæ infestus sibi animus. Acerbum id illi, sed ferendum fuit. Omne eius solatium in precibus. Has, interim dum cæterum muliebre contubernium perpetuâ lætitiâ atque gaudio perstreperet, sola in cubiculo suppliciter Deo offerebat. Id unum autem orabat, ut hisce laqueis se quam citissimè eriperet. Nec in irritum fusæ preces, ut nunc exequar.

CAPUT XIX.

Margarita consensum mariti obtinet, de Yolandâ dimittendâ ad MARIÆ Vallem, incredibiliter lætante Yolandâ; ad cuius sacras nuptias convocantur amici & parentes. Henricus filiam miserabili oratione ultimùm adoritur, sed frustrà.

MArgarita, fortis & celsi animi mulier & magnifica, adhæc inculpata atque integra, eò iam omnem curam converterat, quo pacto datam Yolandæ fidem præstaret. Ante omnia sollicitabat eam adversa mariti voluntas. Is, quam pacis atque quietis amans, tam turbarum ac molestiæ fugitans, nullum ferebat de Yolandâ dimittendâ sermonem; quam ita deperibat, ut, si licuisset, dies atque noctes eam coram in conspectu habere optâsset. Ergò ex absentis desiderio perpetuò cruciabatur. Margaritam verò oppidò macerabat hic mariti dolor. Sed & stimulabat Yolandæ iuvandæ sollicitudo, donec hæc tandem cura vicit. Maritum ergò adit, &, Tædet me, inquit, miseretque perpetui illius mœroris tui, nec fero in infinitum eum extrahi. Dic per Deum, te obsecro, quoniam mortales sumus, dic, quid, dum vivimus, de filiâ nostrâ Yolandâ tandem aliquando constituas? Ipsa quidem, ut probè,

probè nosti, quidquid contrà nitamur, dedere se Deo decrevit. Hîc Henricus, interrupto Margaritæ sermone, iubet eâ de re conticescere. Margarita nihilominus instare, & liberè ac paulò acriùs: Carissime coniux, inquit, nostra ambōrum res agitur; ne censeas tuæ unius voluntati parendum. Ego quidem, Yolandam Sanctimonialem fieri oportere, pronuntio: quoniam id velle Deum, nunc tandem intelligo. Tu, si aliter sentis, vide, ne Deo rebellis, gravi crimine iram eius in tuum caput concites. Henricus orationis sibi molestissimæ pertæsus, Age tu ergò, inquit, quod tibi visum. Hoc verbum speciem quidem habebat consentientis, sed verbo non respondebat animus. Margarita tamen, ut ex vero dictum interpretata, continuò Heilevivam, puellam Yolandæ à cubiculis, accersit, eique significat, exoratum esse Henricum. Iret ergò celeriter, & Yolandæ nuntium id lætissimum deferret. Illa è vestigio devolans ad Yolandam: Gaude, inquit, Yolanda, gaude. Iubet gaudere tua te mater. Eius ego nuntia adsum, victoriamque tibi apporto. Cessit voluntati & tuæ & matris pater tuus. Ad Mariae Vallem, futura Sanctimonialis, propediem abducêris. Ibi lacrymis æque ac votis tuis, Deus terminum dabit. Yolanda, tam iucundo nuntio incredibili repentè perfusa lætitiâ, exclamat: Laudo te Christe Iesu, & tibi mihique gratulor. Hæc identidem iteranti, ita deinde increvit gaudium, ut omnem mo-

CAPUT XIX.

Margarita consensum mariti obtinet, de Yolandâ dimittendâ ad MARIÆ Vallem, incredibiliter lætante Yolandâ; ad cuius sacras nuptias convocantur amici & parentes. Henricus filiam miserabili oratione ultimùm adoritur, sed frustrà.

MArgarita, fortis & celsi animi mulier & magnifica, adhæc inculpata atque integra, eò iam omnem curam converterat, quo pacto datam Yolandæ fidem præstaret. Ante omnia sollicitabat eam adversa mariti voluntas. Is, quam pacis atque quietis amans, tam turbarum ac molestiæ fugitans, nullum ferebat de Yolandâ dimittendâ sermonem; quam ita deperibat, ut, si licuisset, dies atque noctes eam coram in conspectu habere optâsset. Ergò ex absentis desiderio perpetuò cruciabatur. Margaritam verò oppidò macerabat hic mariti dolor. Sed & stimulabat Yolandæ iuvandæ sollicitudo, donec hæc tandem cura vicit. Maritum ergò adit, &, Tædet me, inquit, miseretque perpetui illius mœroris tui, nec fero in infinitum eum extrahi. Dic per Deum, te obsecro, quoniam mortales sumus, dic, quid, dum vivimus, de filiâ nostrâ Yolandâ tandem aliquando constituas? Ipsa quidem, ut

probè,

probè nosti, quidquid contrà nitamur, dedere se Deo decrevit. Hîc Henricus, interrupto Margaritæ sermone, iubet eâ de re conticescere. Margarita nihilominus instare, & liberè ac paulò acriùs: Carissime coniux, inquit, nostra amborum res agitur; ne censeas tuæ unius voluntati parendum. Ego quidem, Yolandam Sanctimonialem fieri oportere, pronuntio: quoniam id velle Deum, nunc tandem intelligo. Tu, si aliter sentis, vide, ne Deo rebellis, gravi crimine iram eius in tuum caput concites. Henricus orationis sibi molestissimæ pertæsus, Age tu ergò, inquit, quod tibi visum. Hoc verbum speciem quidem habebat consentientis, sed verbo non respondebat animus. Margarita tamen, ut ex vero dictum interpretata, continuò Heilevivam, puellam Yolandæ à cubiculis, accersit, eique significat, exoratum esse Henricum. Iret ergò celeriter, & Yolandæ nuntium id lætissimum deferret. Illa è vestigio devolans ad Yolandam: Gaude, inquit, Yolanda, gaude. Iubet gaudere tua te mater. Eius ego nuntia adsum, victoriamque tibi apporto. Cessit voluntati & tuæ & matris pater tuus. Ad Mariae Vallem, futura Sanctimonialis, propediem abducêris. Ibi lacrymis æque ac votis tuis, Deus terminum dabit. Yolanda, tam iucundo nuntio incredibili repentè perfusa lætitiâ, exclamat: Laudo te Christe Iesu, & tibi mihique gratulor. Hæc identidem iteranti, ita deinde increvit gaudium, ut omnem mo-

mentò deleverit ex animo præteritorum sensum malorum.

Interim Margarita in curam adornandi filiæ abitum intenta, cognatos atque consanguineos undique evocat. Adessent, ut par erat, ad Yolandæ nuptias. Illi, cum satis intelligerent, quæ essent hæ nuptiæ, advenere quidem, sed gravatè & illibenter, & ut Margaritæ potius obsequerentur voluntati, quam voto suo. Henricus antè omnes eâ re commotus, incredibilem cepit animo dolorem, præsertim quod Yolandam omni studio ad discessum se comparantem cerneret. Contrà efferebatur ipsa gaudio, ut ex ore etiam atque vultu lætitia emicaret. Sed quantò ea alacrior, tantò pater mœrebat acerbius. Inter assidendum mensæ Yolanda fortè assederat patri, præ animi cruciatu cibi ac potus immemori. Ad hæc dolor vehemens & uberes lacrymæ, vocem quoque ei eripuerant. At postquam surrectum à mensa, tum Henricus ultimam adhibiturus machinam, qua filiæ animum, si ullo modo posset, expugnaret, solam cum nobili quadam virgine in cubiculum secretò subducit, toto pomeridiano tempore in querelis atque precibus usque ad serum diei extracto. Depromebat autem quidquid artificij atque lenocinij paternus amor & dolor in tali rerum articulo suggerebant: Esse ipsam amores suos, delicias suas, gaudium suum, vitam suam. Et his bonis momentò spoliare velle miserum patrem: contrà verò, mœrorem & lu-

ctum perpetuum, ipſam adeo mortem reddere? nec ullâ miſeratione tangi? Quid hoc eſſe, niſi parricidium ſine ſanguine? Quod ſi induceret in animum remanere, ſanctè ſe appromittere, permiſſurum ſe, ut vivat ex arbitrio, preces fundat, vigilet quantumvis & pro libitu ſuo. Contrà Yolanda, id fieri poſſe, negare. Valedixiſſe ſe rebus humanis, non ex dimidio, ſed in totum. Eis adeſſe, eaſque ſimul fugere, rem eſſe abſonam & cum ſeipsâ pugnantem. Sed ut hæc fieri poſſent, quantum eſſe periculum inter eas commorari? In cœno atque ſordibus ipſa ſi habitet puritas atque integritas, ægrè futuram ſine maculâ. Proindè fugere ſe tam contagioſæ rei viciniam, & conſulere innocentiæ ſuæ. Sed iſta quoque ſi prætereantur, ſponderet, ſe auro placaturum mortem, aut vi prohibiturum, ne adveniens, altero duorum, aut filiâ aut patre rapto, ſolvat amoris vinculum. Mortem autem affore momento, ſiquidem ipſa vita nihil aliud ſit, quam momentum. Quid tùm ſibi profuturum, vel mille annorum cum patre convictum, niſi ut ſerò cum ſalutis ſuæ damno moræ pœniteat? Hîc interfatus parens, rogat, ſaltem annum unum ſibi daret. Tantillum temporis nec moram eſſe, nec ſalutis diſpendium. Contrà Yolanda: Imò, nimiam eſſe moram annum unum ceſſare à votis, quæ in ſingula momenta debeat. Poſtremò, nihil eſſe, quod ſe ab animi decreto avocet, non amicitiam, non quoſlibet corporis cruciatus, non ip-

sam mortem. Henricus intelligens filiæ expugnandæ spem nullam esse reliquam: Perge, ergo, inquit, perge, quo tuus te rapit animus, & quando ita vis, æterno luctu atque lacrymis miserum parentem contumula. Hanc parentis vocem veram fuisse, comprobavit exitus. Quippe quoad vixit, nihil ei lætum, nihil iucundum fuit, gaudia aut oblata respuenti aut fugienti.

CAPVT XX.

Henricus & Margarita Yolandam altari impositam Deo offerunt. Hæc in magno comitatu ad MARIÆ Vallem à matre deducitur, & regiè ornata ad templum sistitur, ubi post dona ad aram oblata, velum & sacram vestem suscipit.

ANnus erat M. CC. XLVIII.] advenerantque nonæ Ianuarii, cum Margarita, filiæ Deo offerendæ intenta, ut id marito volente fieret, faciendum censuit. Itaque illum adiens, gravi oratione usa, ita affatur. Dona à Deo, Henrice, maxima plurimaque accepimus. Eius munera sunt non tantùm amplæ opes & alta honorum fastigia, subjectique nobis cum arcibus atque oppidis populi, sed & hæc corpora, vitaque nostra. Id meminerimus, ne ingrata oblivio dantis occludat manum. Gratitudinem autem donator,

tor, non magis exigit, quam probare assolet. Censesne tu, aliâ de causâ reposcere eum à nobis filiam nostram, quam in experimentum gratitudinis? Parci ergò nos hîc erimus & tenaces, ne dicam injurij, nec reddemus repetenti suum immortali Deo? Tune tale consciscere in te crimen audeas? Sed vide, te amabo, liberalitatem repetentis Dei. Primò hoc ipsum, quod repetit, quod poterat tollere, amplum sanè est & magnificum. Deindè, quod aut tollere aut repetere totum poterat, id nobiscum partitur, non ex dimidio, sed decerptâ sibi portione minimâ. Liberos eius dono creavimus plures: ipse, puellâ unâ contentus, reliquos concedit nobis. Et nos tam magnifico, tam profuso Numini rebelles, velut oppositâ vi, pro unâ filiâ contrà eum pugnabimus? Quin audi me potius, & Yolandam unà mecum Divino Numini offerto. Henricus ad hæc cogitabundus non nihil conticuit, & tandem paruit suadenti. Ergo Yolandam, gaudio & lætitiâ gestientem, manibus utrimque datis mediam ad templum deducunt. Ubi deventum ad aram, ei filiam imponunt, munus Deo, quale vix alterum est in omni retrò memoria. Tum uno ore oblationis formulam ita concipiunt. Christe optime, maxime, hanc filiam, non tam nostram, quam tuam, recipe, te quæsumus, Aræ huic tuæ lubentes volentes imponimus summam amoris nostri. Accipe victimam, omnibus mundi delicijs, æstimatione nostrâ, maiorem. Tu cum San-

ctissimâ Matre tuâ MARIA acceptam gratamque habe.

Henrico constabat inter hæc quidem mens atque ratio, sed affectum non tenuit, tanto repente doloris sensu oppressus, ut ægritudini impar, decubiturus inde lectum petere debuerit, filiâ conjugeque relictis. Quæ cuncta cum familiares ac domestici viderent, multum profudêre lacrymarum, nec erat ullum adeò durum pectus, quod sibi temperaret à fletu. Una hilaris Yolanda, speciem referebat vernantis rosæ, quæ inter spinarum aculeos efflorescit. In cæterorum luctu, efferebatur ipsa gaudio, oblita patriæ, oblita parentum, dejectis atque proculcatis rebus humanis gloriosa. Cumque rogaret mater, ut maturaret abitum, seque ad iter compararet; illa amicos atque consanguineos, qui Margaritæ invitatu convenerant, valedictura singulos ordine adit, complorantibus sine discrimine omnibus. Præter consanguineos ac parentes, alios quam multos undique exciverat fama discessus Yolandæ, patrias terras nunquam revisuræ. His ceterisque omnibus cum mœrore prosequentibus, Margarita cum filiâ iter ingreditur. Henricum domi defixit dolor, inter suspiria & gemitus vix ægrum trahentem spiritum.

Postridie quam discesserant, perventum est ad MARIAE Vallem benè manè, VIII. Idus Ianuarias, qui dies est anniversarius habitarum quondam in Cana Galilæę nuptiarum. Iam eò con-

confluxerat magnus nobilium virorum atque matronarum numerus, cum ingenti & promiscuâ hominum multitudine, quos omnes sponsæ Christi spectandæ cupido attraxerat. Margarita filiam exornare orsa, eum cultum adhibuit, qui puellam deceret è prisco sanguine Comitum & Regum oriundam. Emicabat in vertice corona aurea gemmis interstincta. Crispi flavique capilli, margaritis & unionibus undique mirâ elegantiâ circumvoluti, certabant cum cætero pretiosissimo corporis ornatu, undique effulgente auro atque gemmis, ut satis constaret, vix unquam aliàs tantæ opulentiæ cultum conspectum in ullâ virgine. Miratæ tantam Margaritæ in commendâ filiâ profusionem nonnullæ matronæ, rogant, quid hoc rei sit, quod in Yolandam sese deferentem tantùm ornamenti conferat? Quibus Margarita; Si filiam meam nuptui darem mortali viro, utique exornanda mihi splendidè foret atque magnificè. Nunc Rex cœlestis eam thalamo suo dignatam, sponsam accipit, & ego non omne aurum profundam, non gemmas atque margaritas congeram, non regiè, aut si quid magnificentius potest, eam convestiam? Scilicet committam, ut mei me pudeat, quæ inornatam contemptamque tanto Numini sponsam offeram? Hæc Margarita comiter æquè ac sapienter & piè. Sed tantum in corporis cultu decus, Yolanda specie atque formâ omnium confessione superabat. Purpurea labra atque genæ, collumque

lacteum, hinc meras rosas, hinc mera lilia referebant. Figura corporis atque membrorum apta, & ad omnes pulchritudinis numeros exacta. Incessus habitusque mirè compositus, ut nemo dubitaret, haud aliàs tantæ elegantiæ & speciei visam usquam virginem. Sed externum illud humani oculi spectaculum multis partibus anteibat decor animi, soli cœlo aspectabilis, nec minus quam humanis oculis, sermone non assequendus.

Postquam omnia comparata erant, processum est ad templum. Primo loco ante omnes Yolanda sponso suo cœlesti ibat obviam, comitata duabus nobilibus puellis, Beatrice & Heilevivâ, fidis sibi nuper inter omnia adversa socijs, nunc cum ipsa Christi quoque sponsis. Sequebatur agmen nobilium matronarum cum Margaritâ. Iam templo pompa successerat, gestiente Yolandâ & ægrè ferente moram, dum ad adyta perveniret. Quò ut deducta est, processit ad aram, ibique consistit. Datum deindè Sacrificio initium, quod cum cantu & solennibus cerimonijs peractum. Iamque offerenda erant dona ad aram, ut rituum sacrorum mos est. Tum Yolanda cum duabus sodalibus suis ad locum progressa, ubi mater sacrificio intererat, flexis antè eam genibus, veniam suppliciter poscit. Indè pari, quâ venerat, modestiâ reversa ad aram, donum de more imponit. Addit eodem detractam capiti suo coronam, cum pretiosis vittis atque tenijs; ac tum omni se ornatu exspolians, eum abjicit. Aderant, qui

qui confestim tunicam ei candidam induerent, palliumque nigrum & promissum circumdarent. Hoc habitu ipsa mox, elatâ clarâque voce, modis solemnibus in hanc verborum formulam concinuit: *Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini nostri* IESU CHRISTI, *quem vidi, quam amavi, in quem credidi, quem dilexi. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Sic præcinenti Sanctimonialium chorus suavissimè succinebat; donec ad se deductam Yolandam accepêre intrà sua septa, ubi imposterum triginta quinque annis seclusa permansit.

CAPUT XXI.

Friderico filio mortuo Henricus & Margarita condunt Viennæ domum Trinitariorum; & uxor Friderici ductu Waltheri Meisenburgij fit Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis. Henricus & Margarita Trinitarijs Viennensibus varia donant, & rebus suis se abdicantes, ille proficiscitur in Palæstinam, hæc fit Sanctimonialis ad MARIÆ *Vallem, ubi Yolanda virtutibus efflorescit.*

HActenus res gestas Yolandæ Hermannus summa diligentia prosecutus, hic narrationis filum abrumpit, addita tantùm aliqua virtu-

lacteum, hinc meras rosas, hinc mera lilia referebant. Figura corporis atque membrorum apta, & ad omnes pulchritudinis numeros exacta. Incessus habitusque mirè compositus, ut nemo dubitaret, haud aliàs tantæ elegantiæ & speciei visam usquam virginem. Sed externum illud humani oculi spectaculum multis partibus anteibat decor animi, soli cœlo aspectabilis, nec minus quam humanis oculis, sermone non assequendus.

Postquam omnia comparata erant, processum est ad templum. Primo loco ante omnes Yolanda Sponso suo cœlesti ibat obviam, comitata duabus nobilibus puellis, Beatrice & Heilevivâ, fidis sibi nuper inter omnia adversa socijs, nunc cum ipsa Christi quoque sponsis. Sequebatur agmen nobilium matronarum cum Margaritâ. Iam templo pompa successerat, gestiente Yolandâ & ægrè ferente moram, dum ad adyta perveniret. Quò ut deducta est, processit ad aram, ibique consistit. Datum deindè Sacrificio initium, quod cum cantu & solennibus cerimonijs peractum. Iamque offerenda erant dona ad aram, ut rituum sacrorum mos est. Tum Yolanda cum duabus sodalibus suis ad locum progressa, ubi mater sacrificio intererat, flexis antè eam genibus, veniam suppliciter poscit. Indè pari, quâ venerat, modestiâ reversa ad aram, donum de more imponit. Addit eodem detractam capiti suo coronam, cum pretiosis vittis atque tenijs; ac tum omni se ornatu exspolians, eum abjicit. Aderant, qui

qui confestim tunicam ei candidam induerent, palliumque nigrum & promissum circumdarent. Hoc habitu ipsa mox, elatâ claráque voce, modis solemnibus in hanc verborum formulam concinuit: *Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini nostri* IESU CHRISTI, *quem vidi, quam amavi, in quem credidi, quem dilexi. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Sic præcinenti Sanctimonialium chorus suavissimè succinebat; donec ad se deductam Yolandam accepêre intrà sua septa, ubi imposterum triginta quinque annis seclusa permansit.

CAPUT XXI.

Friderico filio mortuo Henricus & Margarita condunt Viennæ domum Trinitariorum; & uxor Friderici ductu Waltheri Meisenburgij fit Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis. Henricus & Margarita Trinitarijs Viennensibus varia donant, & rebus suis se abdicantes, ille proficiscitur in Palæstinam, hæc fit Sanctimonialis ad MARIÆ *Vallem, ubi Yolanda virtutibus efflorescit.*

HActenus res gestas Yolandæ Hermannus summa diligentia prosecutus, hic narrationis filum abrumpit, addita tantùm aliqua virtu-

tum eius commemoratione. Itaque quid Margarita, quid cæteri, qui confluxerant, posteà egerint, quisvè sit huic cerimoniæ impositus finis, & cætera huiusmodi, in obscuro sunt. Fortè ea quoque Hermannus attigerat, sed truncato infelici casu membraneo eius codice, perierint. Itaque cetera deinceps, quæ Yolandam attinent, ex probatis veterum monimentis explebo, additis quæ Hermannus memoriæ tradidit.

Principiò, etsi dubium non est, pios Yolandæ parentes, Henricum & Margaritam, oblata Deo tantâ devotione unicâ filiâ promeritos, ut virtutum magna imposterum facerent incrementa, id ipsum tamen eventu magis patuit. Siquidem haud multo post Yolandæ in cœnobium ingressum, Frederico filio iam mortuo, Sodalibus redemptionis captivorum, quos Trinitarios vocant, sedem Viennæ stabilem dederunt, attributâ domo hospitali à se conditâ. Qua de re in arça lignea est tale apud Viennenses Trinitarios monimentum, litteris opere vermiculato efformatis.

FRATRES ORDINIS S. TRINITATIS ET REDEMPTIONIS CAPTIVORUM IN HOSPITALI DE VIENNA RECEPTI SUNT NONO KAL. IUNIJ ANNO M. CC. XLVIII. A COMITE HENRICO ET MARGARETA CONIUGE ET PHILIPPO PRIMOGENITO EORUM.

Addidere reditus parœciarum Mettendorfianæ & Daleidianæ, tabulis donationis hisce conscriptis.

Henri-

Henricus & Margarita Comitissa Viennensis, universis præsentes litteras visuris, cognoscere veritatem . . . . ne labantur cum tempore, debent scripturæ munimine roborari. Hinc est quod universitati vestræ dignum duximus significandum, quod nos divinitatis intuitu, in nostrorum remissionem peccatorum, dedimus & concessimus viris religiosis, fratribus ordinis Sanctæ Trinitatis & captivorum, hospitale, quod ædificavimus in Viennâ, & pro ipsorum fratrum ibidem commorantium & pauperum sustentatione, dedimus & concessimus eidem hospitali ecclesias de Mettendorf & de Daleiden, quarum præsentatio ad nos pertinere dignoscitur pleno iure, quando eas vacare contigerit, pacificè, sicut investiti eas hactenus habuerunt, possidendas. Et per hoc tenebuntur dicti fratres capellæ castri nostri Viennensis in divinis per unum fratrem Presbyterum deservire, prout nobis & nostris hæredibus competet expedire. Quia vero fratres prædicti in subsidium captivorum pro fide Christianâ à paganis detentorum bona sua tertiare tenentur, statuimus & volumus, quòd dictarum ecclesiarum redditus & proventus à tempore earum vacationis, & dictorum fratrum perceptionis, integrè, antè quinquenium nullatenus tertientur, ut earum pars tertia in usus fratrum & pauperum prædictorum, & maximè ad prædicti hospitalis ædificia convertantur. si vero, quod absit, contingeret prænominatos fratres in hospitali sæpe dicto non velle commorari, ecclesiæ sæpe dictæ memorato hospitali, si ibidem de nostro vel hæredum nostrorum consensu vigeret religio, remanerent, similiter ad nos & nostrorum præsentationem reverterentur pleno iure. Hæc autem ex certis scientijs, de proborum & discretorum con-

filio, Philippi nostri primogeniti, & aliorum hæredum nostrorum assensu plenario, duximus statuenda. Volumus autem, ut fratres prælibati anniversaria nostra & filiorum nostrorum, scilicet Friderici & Philippi, in ecclesiâ dicti hospitalis in perpetuum tenebuntur celebrare, & pro nobis, cunctis hæredibus nostris. ....

....

Datum anno domini M. CC. XLVIII. *Mense Iunio.* Trinitarij, porrò Viennenses à maioribus traditum habent, Henricum patris sui, in Palæstina olim capti, & à Trinitarijs liberati memorem, aut sponte sua, aut ex testamento patris, hanc eis sedem dedisse. Anno eodem Arnoldus Treyirorum Archi-Episcopus hospitali cœmeterium attribuit, tabulis Nonis Iunij conditis. Domui autem cœptæ primus minister datus Drugo, idem & minister domus de Monte Salutis Layerijs, cuius diligentia novæ domus opera ita provecta sunt, ut anno sequenti M. CC. XLIX. 5. Nonas Maias templi ara maxima cum cœmeterio dedicata sint ab Henrico Episcopo Osiliensi. Erat is Trevirensis Archi-Episcopi Suffraganeus, ut ex veteribus tabulis tradit Christophorus Browerus.

Ceterùm Friderico Henrici filio, ut dictûm est, antè patrem mortuo, superstes uxor eius iuvencula, hortatu Waltheri Meisenburgij, nec dubium quin &. Yolandæ glossis suæ exemplo, spretis rebus caducis ordini Cisterciensium sese adiunxit. Rem ita Thomas Cantipratanus memorat

morat ipsum narrasse Waltherum. *Simile quid accidit mihi, ut cum illam nobilem iuvenculam, relictam Friderici comitis de Viennâ, à seculo revocassem, & ad Cisterciensem Ordinem adduxissem; illaque primò gravissimis pulsaretur dæmonum insultibus; viderem, quod diabolus à dextris eius stabat, & eam ad se fortiter trahere conabatur. Egò autem ex adversò stans, & eam ad velitum retrahere non valens, clamavi audientibus fratribus, qui mecum erant: Benedictus* IESUS *fructus ventris tui. Nec mora iuvencula liberata est, & in Ordine perstitit, ut Abbatissa effecta sit, & custos collegij virginalis.*

Hæc Cantipratanus ex narratione Waltheri, tempore rei gestæ non addito. Sed credibile, haud diu post Friderici mortem hæc facta. Siquidem liber de Apibus, in quo Cantipratanus ista memorat, absolutus ab eo est sub annum M. CC. LXIII, quo tempore coniux illa quondam Friderici iam agebat cœnobij Antistitam; quod fieri vix potuit, quin Fridericus vir eius multò antè decesserit, ut ipsa tum quoque rebus caducis iuvencula nuntium remiserit.

Nec ambigam Henricum & Margaritam Yolandæ parentes, ex filij Friderici morte, suæque nurus rerum labilium contemptu, tantò etiam magis incitatos ad virtutem, imitandaque tam illustria liberorum exempla. Et erat ad manum nota pietatis exercendæ materia, quam condiderant, Trinitariorum domus. Anno itaque M.CC. LII. Mense Iulio, patribus Trinitarijs, probante Philippo filio, donavêre pistrina Viennensia cum vineis,

vineis, alijſque rebus. Tabulas ex autographo meâ ſcripſi manu tales.


Henricus comes, M. comitiſſa, & PH. eorum filius Vien. univerſis præſentem paginam viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Ad veſtræ volumus univerſitatis notitiam pervenire, quod nos divinæ pietatis intuitu, de communi noſtro aſſenſu & voluntate, contulimus in eleemoſynam domui & fratribus hoſpitalis Vien. ordinis S. Trinitatis & captivorum, omnia iura clibanorum Vien. vineam, quæ eſt intrà viam, quæ ducis apud Rode, quæ Padem vocatur, & aquam inferius fluentem, quæ vocatur OWre, & terram, quæ vocatur Berlynſeit, quam à Marſilio emimus, perpetuo eo iure & eiſdem uſibus, quibus hæc omnia prædicta hactenus poſſedimus, tenendam & poſſidendam. Prætereà contulimus eiſdem fratribus viginti ſolidos Trevirenſes de cenſu noſtro Viennenſi, in die B. Thomæ Apoſtoli perpetuò percipiendos annuatim. Statuimus etiam, quod dicti fratres ex illis viginti ſolidis adminiſtrare tenebuntur oleum duabus lampadibus, quarum una erit in capellâ Vienn. caſtri, cuius altare in Beatæ MARIÆ Virginis honore conſecratur, & altera in hoſpitali prænominato. Quia verò fratres prædicti ordinis, in redemptionem captivorum pro fide Chriſtianâ à Paganis detentorum tertiam partem bonorum ſuorum mittere tenentur, ſtatuimus & volumus, quod clibanorum & aliarum rerum prænominatarum reditus & proventus, nullatenus tertientur, ſed ſemper in uſus fratrum, hoſpitum, lampadum, & ad ædificia dicta domus convertantur. In cuius rei teſtimonium noſtra ſigilla præſentibus duximus apponenda. Actum & datum Vienn. anno Domini millesimo

lesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mense Iulio, præsentibus Roberto de Exe, domino Ioffrido de Welx, Henrico de Hoxleden, Gerardo de Herpeldengen militibus, & multis alys & ecclesiasticis & laicis, ad hæc specialiter conuocatis.









His tabulis ceræ tres appendent, quarum primæ & secundæ imaginem, sed intra spatium multo minus contractam, hic posui, ut Yolandæ parentes vel in effigie cerneres. Est enim illa Henrici, hæc Margaritæ, prætermissâ eâ, quæ est filij eorum Philippi. Henrici sigillum gentilitijs Viennensium Comitum insignijs, tùm in parma, tùm in equi strato conspicuis, adornatur. Eadem insignia aversæ ceræ impressa sunt, quod *Secretum* vel *clavem Sigilli*, interdum etiam *contra-Sigillum* appellabant. Cera autem Margaritæ habet eius effigiem, forma matronæ principis, & parte aversa insigne patrium gentis Curtiniacensis. Sigillum Philippi itidem, ut patris eius, est equestre cum hoc titulo

S. PHILIPPI DE VIENNA DOMINI DE DASBERCH.

Sed observatione dignum est, quod equi eius tegumentum caret Viennensium Comitum insignijs, positis eorum loco Namurensibus, quæ in aversa quoque cera spectantur cum titulo

CLAVIS SIGILLI.

Scio non perseverasse semper avita olim in una gente insignia, sed certis interdum de causis mutata à posteris, suntque eius rei plurima in antiquitate exempla, & inter ea Godefridi filij Philippi nostri, qui Viennensi parmæ Grimbergensem posteà substituit, ut in loco referam. Credibilius

dibilius tamen, Philippum, patre vivo, insignia maiorum paterna aut reverentiæ causa præferre noluisse, aut moribus prohibentibus non potuisse, ac proindè symbola usurpasse materna comitum Namurensium.

Dasberga porrò arx est vetustissima ad Urâm fluvium, leucis suprà Viennam fermè duabus, quam clientelari nomine à Prumiensi cœnobio prisci Viennæ Comites tenuêre, tenentque hodiè eorum posteri Auriaci Principes.

Tandem Henricus & Margarita, largiendo hominibus Deo sacris, offerendoque eis suosmet liberos, velut præstructo ad celsiora virtutum opera gradu, eidem Deo se totos dediderunt, abdicata Vienna omnibusque bonis. Henricus quidem cruce signatus in Palestinam ad bellum sacrum profectus est, ibique mortuus ac sepultus, ut Gramajus, aliique tradunt. Annum mortis eius non invenio. De die, ita in ephemeridibus mortualibus MARIAE Vallis.

XIII. *Kal. Decembris, obijt Henricus Comes Viennensis, de quo habuimus XXX. libras.*

Hâc die conventus ad pitantiam de bonis in Noortzingen XX. Solidos.

Margarita autem in Cœnobio MARIAE Vallis, quod anteà tantopere detestata fuerat, Sanctimonialem se Deo dedicavit. Et quidem iam anno M. CC. LIII. rebus suis abdicatis, Philippo filio eas tradidisse, patet ex tabulis Philippi autographis, eo anno, mense Februario, scriptis,

quibus Trinitarijs Viennensibus donat silvás Darembachiam & Kincenbachiam. Ita enim ibi habetur : *Actum publice coram nobili & carissimâ matre nostrâ Margaritâ quondam Comitissa Viennensi.*

Interim Yolanda ad MARIAE Vallem præclara quæque edebat omnium virtutum exempla. Hermannus hæc pauca commemorat. Mira eius erat in communibus vitæ cœnobiticæ munijs alacritas. Vigilare, ieiunare, laneis vestiri, nocte media consurgere, egere, pasci tenuiter, magnoperè ei iucundum. Disciplinæ summus amor, summumque studium: otij perpetua fuga. Aut enim nebat, aut legebat, aut fundebat preces, lacrymis frequentissimè mixtis. Somnum ferè nullum antè nocturnos sodalium hymnos atque cantum capiebat. Tùm, dato ad eà signo, modico spatio decumbebat, ut ab excitante virgine inventa, somni capti specie quadam falleret. Mox ad ædem sacram convolans, ibi iam concinendo, iam precando aut legendo, ceteris aderat. Hymnis finitis, loco secreto cum Deo agebat, quoad non raro præ lassitudine obdormisceret. Hæc privata interiorque vitæ eius ratio : at cum hominibus agendo, gratia, caritate, benevolentia omnium sibi devinciebat animos. Evocata sæpe ad cancellos, aut à mœrentibus, aut à consilij inopibus, illorum levabat dolorem, hos monitis sapientibus instruebat. Nec aditus ad eam difficiles, sed erat omnium horarum; moribus etiam se aptare peritissima, lætam atque tri-

stem

ſtem, perindè ut res poſceret, ſe præbebat. Nemo ab ea recedebat, niſi ſeipſo melior.

CAPVT XXII.

Thomas Cantipratanus inviſit Yolandam. Hæc fit Prioriſſa ad MARIÆ Vallem. Inviſitur á ſuo fratre Henrico Epiſcopo Trajectenſi. Curat verti in linguam Germanicam leges ordinis D. Dominici.

HIs ſtudijs deditam Cantipratanus, ſuffraganeus Camaracenſis Epiſcopus, vir in ordine D. Dominici non minus ſcriptis, quam virtute his temporibus illuſtris, coram vidit. Et quanquam ubi viderit, non commemorat, credibile tamen vidiſſe ad MARIAE Vallem, tùm quod Yolandam clauſtris cœnobij egreſſam leges eius ordinis haud facilè patiuntur, tùm quod Cantipratanum Treviris fuiſſe cònſtat. Et verò in Belgium redeuntem, vel Treviros proficiſcentem, hàc rectum ducebat iter. Quanquam cauſæ ſatis Cantipratano adeundæ MARIAE Vallis erat ipſa Yolanda, digna quam cerneret vir rerum memorabilium ſui temporis tam diligens indagator, ut faſſus ipſe ſit, explorandæ rerum geſtarum veritati maxima ſe non raró feciſſe itinera. Fuit autem Treviris anno M. CC. LVI. ut ſcribit libro II. de Apibus, cum vi ventorum atque

tempeſtatum omnia paſſim his in regionibus corruerent. *Circà Trevirim, inquit, vineas demolitas penitus, ſilvas & arbores antiquiſſimas funditùs everſas inſpeximus.* De Yolandâ vero, hæc poſterorum memoriæ reliquit. *Vidimus plures filias Comitum & Baronum, quæ ſpretis nuptijs in monaſterijs vel congregationibus virginum, vitam cœlibem delegerunt. Quarum inter ceteras unam, Iolandam nomine; filiam Viennenſis Comitis vidi, quæ ad prædicationem cuiuſdam fratris ordinis Prædicatorum, VValtheri nomine, cuius ſuprà fecimus mentionem* (quo loco Meiſenburgium diſertè nominat, deſcriptâ paucis eius conditione vitæ) *inauditâ conſtantiâ parentes evicit, ut ſponſo ſuo* Iesu *Chriſto cum ſororibus ordinis Prædicatorum in Valle B.* Mariae *in diœceſi Trevirenſi liberè deſerviret. Hac enim Romanorum Moderatoris neptis, & Imperatoris Gratiæ conſobrina, & Achaiæ Principis ſoror, à parentibus & amicis præparabatur nobiliſſimis nuptijs copulari, ut per eam poſſet eorum poſteritas ſublimari. Illa autem alias intendens, matrem animo ſollicitavit dicti loci ſorores inviſere. Quo ubi venit, alijs cum militibus & familiâ matre intentâ, filia, ut prius ordinaverat, vocatis in capitulum Sororibus, votum religionis fecit, habitum induit, & impoſitum reſponſorium, Regnum mundi, ipſamet inchoavit. Dum conventum lætiſonis vocibus proſequentem audit mater, miratur concentum repentinæ lætitiæ, mittit unum ex ſuis videre, quid eſſet? Renunciat ille, beatiſſimam Iolandam habitu ſacri ordinis inſignitam. Quo audito mater attonita, accurrit filiam rapere furibunda. Nec cunctata immunitatem loci violenter infringere, raptam*

ſecum

fetum abduxit, & in palatio Viennensi arctissimæ custodiæ mancipavit. Et vide quali constantiâ vixerit. Cibis tantùm regularibus secundùm ordinem contenta, alios comedere nullâ violentiâ cogi poterat. Alia quoque statuta ordinis, à quibus corpus vel animus arceri non poterat, vigilantius observabat. Detracto tantum illi habitu ordinis violenter, coloratis eam vestibus induebant. Nuditatem enim pati virginalem pudicitiam non decebat. Quid moror verbis? Per Episcopos, Abbates, & Prælatos, & per alterius professionis moniales, & religiosos diversi generis tentabatur. Nec tamen infrà triennium, vel ad reditum seculi, vel saltem ad laxioris vitæ ordinem animum eius convertere potuerunt. Dicebat enim verbis innitens Apostoli, In eâ vocatione, qua vocata sum, immobilis permanebo. Parentes igitur & amici à revocatione illius finaliter desperati, eam redire ad dictum locum & ordinem permiserunt. Vbi tantis vitæ exemplis fulget, ut nulla in eâ deesse virtutis dignitas videatur. Hucusque Cantipratanus, Hermanno subindè dispar, sed leviter, nisi quod non intelligo, quomodo Yolandam Imperatoris Romanorum neptem, & Constantinopolitani consobrinam, ac Principis Achaiæ sororem appellaverit. Non sum nescius *neptis* & *consobrinæ* vocabulis non uno significatu usos Cantipratano coævos scriptores, sed nec ista me ratio satis iuvat. Est quidem, qui ex priscis monimentis tradat, Agnetem Yolandæ amitam, Principissam Achaiæ nuncupatam. Sed quo pacto is titulus ad Yolandæ fratrum unum transmigraverit, nondum perspexi. Id divinet ergo, cui libitum.

libitum. Siquis eorum Princeps Achaiæ dictus est, non sanè fuit is Philippus, non Henricus, non Petrus, quorum titulis plena sunt monimenta veterum, sed inter eos titulos de Achaiæ Principatu littera nulla. Fridericus fortasse, qui maturè mortuus, nullos post se titulos reliquit, Principatum illum vendicare poterit; sed iam illa permisi divinantibus. Meminit & alio anteriore loco Yolandæ Cantipratanus, dum de Friderici fratris Yolandæ relictâ coniuge viduâ, à Walthero Meisenburgio ad cœnobiticam vitam traductâ, ita scribit. *Hic idem frater est, qui illam nobilissimam puellam, filiam Comitis de Viennâ, ut posteà dicemus, & ad statum vitæ perfectissimum adduxit, & in miris & inauditis tribulationibus, lacrymis, & precibus continuis, constantissimam conservavit.*

Redeat nunc ad res ab Yolandâ in cœnobio gestas oratio, cuius ea fuit virtutis atque prudentiæ excellentia, ut promeruerit ceterarum fieri virginum Antistes, anno postquam cœnobium inierat X. Christi M.CC.LVIII. Hermannus *Priorissam* & Magistram promiscuè appellavit. Magistræ dudum abolito nomine, Antistites MARIAE Vallis *Priorissæ* nuncupantur. Yolanda porrò cum muneris dignitate virtutem intendit, rebus etiam gestis clara, ut Hermannus asserere veritus non sit, librum de hâc materiâ potuisse scribi; quanquam nihil horum ipse commemorat, contentus virtutibus eius enarrandis. Principiò, generis celsitudine proculcatâ, demisso

prorsus

prorſus animo cæteris Sanctimonialibus famulæ inſtar inſerviebat, immemor ſe earum eſſe Præſidem. Benigna & miſericors pauperibus atquè egenis, quidquid parſimoniâ conficere poterat, erogabat, adeò profuſa, ut egere ipſa ſubindè cogeretur, haud parum dolenter id ferentibus Sanctimonialibus. Iam diſciplinam ita inſtituit excoluitque, ut famam eius rei ergò longè lateque cœnobium Mariae Vallis obtinuerit. Rei autem familiaris providè ab Yolandâ adminiſtratæ teſtes ſunt quam plurimæ tabulæ, quarum exempla vidi. Earum autem vel adeò ſummas hîc ponere, longum ſane foret, & legentibus tædioſum. Hoc ad commendationem œconomiæ Yolandæ dixiſſe ſuffecerit, quod à quò familiam gubernare cœpit, vix annus unus præterierit, quò non tabulæ aliquæ confectæ ſint, aut donationum, aut emptionum, aut aliæ quæcunque rei domeſticæ benè procuratæ indices.

Inter hæc amantiſſimus ille Yolandæ frater Henricus, Traiecti Epiſcopus, neſcio quâ de causâ, ad Mariae Vallem advenit. Facilè æſtimamare eſt, quanti fuerit gaudij hic adventus, dum indè Yolanda, Henrici dilectiſſima ſoror, familiæ Præſes, indè Margarita utriuſque mater, & tum ſub filiæ imperio ſanctimonialis, talem hoſpitem exciperent. Nec minus iucundum Henrico, videre coram, duo ſibi tam cara capita. Multa hoc loco, quæ ſcire iuvaret; divinare tantùm licet, rebus, quæ tum actæ ſunt, oblivione ſepultis,

pultis, aut non traditis posterorum memoriæ. Unicum ex tabulis comperimus. Machara oppidum est provinciæ nostræ, Mosellæ suprà Treviros ad ternas fermè leucas appositum. Erat eius oppidi nobilis & equestris familia, à loco dicta *de Machrâ*, sicuti cęteræ olim apud nos urbes, ut Arlunum, Bitburgúm, ipsum adeò Luciliburgum & plurimæ aliæ, sui nominis gentem nobilem habebant. Et Macharę quidem, ex gente patriâ duo erant fratres, Petrus & Arnoldus, Ægidij filij. Arnoldo, iam defuncto, erat filia Gertrudis, Sanctimonialis ad MARIAE Vallem, cuius nomine pater cœnobio bona quędam donaverat. Sed Petro Arnoldi fratre donationem trahente in controversiam lis agitata est apud Comitem est Comitissam Luciliburgensem, donec tandem inita est concordia, arbitro litis componendæ lecto Henrico Episcopo. Eo agente Petrus, & MARIAE Vallenses, nomine Gertrudis, suo quisque iuri, si quod invicem haberent, renuntiaverunt. Tabulas eâ super re ab Henrico editas, ipse cerâ suâ ad MARIAE Vallem obsignavit, anno M. CC. LXVIII. postridiè feriæ solennis Annuntiationis B. Virginis. Qui idem annus, Henrico fuit vitę ultimus. Reversus enim Traiectum, ibi pridie Nonas Iunias decessit, cuius res gestas in Genealogia Comitum Viennensium pluribus executi sumus. Apud MARIAE Vallem exstat eius in ephemeridibus honesta memoria, ut eodem loco tradidi.

Dixi suprà, quæ fuerit Yolandę disciplinę reiq́ue domesticę cura. Ad disciplinam pertinet, quod leges D. Dominici ex Latino in Germanicos rhythmos transferendas curavit; nimirum, ut eius Sanctimoniales institutiones suas, patriâ linguâ redditas, facilius comprehenderent; & numeris poëticis illigatas, cum voluptate memoriæ mandarent. Erat enim Yolanda, ut Hermannus est auctor, præter Germanicam, Gallicæ quoque imò & Latinæ lingua perita. Rhythmos autem composuit Henricus cœnobita Dominicanus, qui nomine suo in operis initio littera prima, pro eius ævi consuetudine indicato, disertè illud in fine est professus. Codicem ipse vidi, in quo præfatio metrica: tum hæc scriptura. *Anno Domini* M. CC. LXXVI. *ætatis meæ XXVI. anno ab ingressu meo in ordinem VI. anno sacerdotij I. ego frater H. ordinis Prædicatorum, minimum hunc libellum de Latino in Theutonicum transtuli, Sororis Yolandis Priorissæ Vallis S. MARIÆ ac aliarum sororum precibus devictus, & fraternæ instructionis nihilominus zelo ductus.* IESUS CHRISTUS.

Fuisse porrò hunc Henricum, ut modo loquimur, *Patrem*, seu, ut olim, *Confessorem*, hoc est, moderatorem Virginum MARIAE Vallis, ex ephemeridibus deprehendisse mihi videor, in quibus ita scriptum.

XV. Kal. Septembres, obijt frater Henricus de Lucemburgo, presbyter & confessor noster.

A quo enim potius, quam à moderatore suo

peterent Vallis Mariae Virgines reddi Germanico idiomate leges suas? aut quis potius id officij illis præstaret, quam idem ille earum moderator?

CAPUT XXIII.

Yolandæ fama & auctoritas apud principes. Blanca D. Ludovici mater, Regina Galliæ, benefacit MARIÆ Valli. Eandem benevolè prosequuntur Henricus Magnus, & Margarita Comites Luciliburgenses. Margaritæ Yolandæ matris mors & sepulchrum. Meisenburgiorum procerum memoria apud MARIÆ Vallem.

Yolanda ut domi in magna fuerit veneratione, non minus tamen foris apud Magnates & Principes valebat gratia & auctoritate. Blanca inprimis, D. Ludovici Galliæ Regis mater, cœnobio Mariae Vallis, haud dubiè permota Yolandæ cognatæ memoria, donavit XL. libras nummûm Turonensium; quod donum voluit olim filiæ suæ Margaritæ, nuptæ Ioanni I. Brabantiæ Duci, cum defuncta esset, prodesse. Obijt autem Blanca anno M. CC. LII. Margarita verò sub annum M. CC. LXXI. Et credibile, tum ex matris decreto numeratam Yolandæ pecuniam. Est hac de re ita scriptum in ephemeridibus mortualibus Mariae Vallis.

III. Non.

III. Non. Novembres, obijt D. Margarita Ducissa Brabantiæ, soror D. Philippi Regis Franciæ, pro cuius animâ Domina Blanca mater sua dedit XL. libras Turonenses.

Henricus Comes Luciliburgensis, cognomento Magnus, qui Yolandam, ut memoravimus, Luciliburgi cum eius matre acceperat, & iam tum adversus Yolandam faventes animos conceperat, cruce signatus anno M. CC. LXX. haud multo post obijt, cœnobium MARIAE Vallis summa semper benevolentia complexus, ut est in ephemeridibus.

IX. *Kal. Ianuarij obijt illustris Dominus Henricus Comes Lucemb. qui prosecutione favorabili nos & nostrum monasterium manu paternâ protegens, bona nostra tanquam pius pater in omnibus semper studuit ampliare.*

Nec minus quam Henricus, Margarita eius uxor, filia Theobaldi Comitis Barrensis, memoriam sui apud MARIAE Vallem reliquit; nimirum Yolandam, ut dictum in superioribus, Luciliburgi quondam cum Margaritâ matre habuerat hospitam. Decessit Margarita post annum M. CC. LXX. sepulta in cœnobio Clari Fontis Virginum Cisterciensium, haud procul Orolauno. Dies mortis eius in iisdem ephemeribus ita est notatus.

IX. *Kal. Decembris, obijt illustris Domina Margarita Comitissa Lucemb.*

Inter, hæc Margarita Yolandæ mater Sanctimonialis piè decessit XVI. Kal. Augustas, anno M. CC. LXX.


COMITISSÆ VIENNENSIS
QVÆ OBIIT ANNO DNI MILLESIMO DVCENTESIMO SEPTVAGESIMO SIC
XVI KAL AVGVSTI.
IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI
henric' p'mogenit' ph. comitis vien.

M. CC. LXX. Yolanda sepulchrum ei fecit & sua & matris modestia dignissimum, spreta hic quoque ut in ceteris rebus, humana pompa. Siquidem vulgare saxum est, sub arcu intrà murum humi patens, simplicibus linearum ductibus, imagine Margaritæ, habitu Sanctimonialis, effigiatum. Facies cùm manibus, cingulo & calceis, olim ex vitro aptè colorato lapidi inserebantur. Sed ea nunc plurimùm confregit ætas. Vestis est tunica ad talos demissa & præcincta, cum scapulari & pallio cucullato, ita ut velum non appareat. Sub pallio stat Henricus, Philippi comitis Viennensis primogenitus filius, pueri tunicati habitu, dextra schedion oblongum tenens, sinistræ indice protenso ad aviam, ceu eo gestu monstraturus, quod de avia legas. Sepulchri imaginem aspice.

Sic sita est orta ex regio sanguine mulier, Imperatoris filia, Imperatoris soror; & quæ nuper illum sui tumuli locum indomito spiritu redigere volebat in cineres, ea nunc ibidem facta Sanctimonialis, cinis & pulvis in pace quiescit. Ut mirêre virtutem Dei, celsissima quæque fastigia, cum ei libitum, submittentis in plana; hâc tamen insigni Margaritæ commendatione, quod ita deiecta, seipsâ longè maior semper erit reputantibus rectè posteris. In ephemeridibus, hoc est eius elogium.

XVI. Kal. Augusti obiit Soror Margarita, quondam Comitissa Viennensis, mater Sororis Yolandis Priorissæ, de

de quâ habuimus plusquam mille libras. Hâc die habebit Conventus ad Pitanciam XL. solidos de Nortzingen.

Quam plurima ad hæc equestrium patriæ nostræ virorum est in eisdem ephemeridibus memoria. Sed quia non satis constat, qui eorum Yolandæ temporibus vixerint; tacitè eos præterire cogor, aliquot demptis Meisenburgijs. Est ergò Adelini Meisenburgij mentio in priscis tabulis ab anno 1192. ad annum usque 1256. quem Waltheri Meisenburgij Prædicatoris nostri patrem fuisse, temporum & nominis ratio, nisi longè fallor, exigere videtur. Siquidem Walthero nostro coævus fuit. Waltherus ex eâdem gente Meisenburgicâ alius, Erardi Meisenburgij filius, Godefridi, seu Ioffridi frater; & Erardi quidem meminêre veteres tabulæ ab anno 1214. ad annum usque 1244. quo anno Ioffridi & Waltheri, quos dixi, filiorum eius nomina edunt, & quo tempore Waltherus noster Ordini D. Dominici adscriptus iam *Prioris* munus apud Treviros expleverat. Alius ergò ipse est ab Erardi filio Walthero, & nostri potius pater dicendus Adelinus. Fuit autem Adelinus iam ab anno 1235. Ermesindi Comitissæ Luciliburgensi eiusque filio Henrico à consilijs, deque eo ita scriptum est in ephemeridibus Mariae Vallis.

VII. *Idus Decembris obijt Dominus Hadelinus de Meisenburgh.*

Waltherum autem Erardi filium, eum esse arbitror, cuius exstat tumba ad Mariae Vallem

lem, cubante in oblongo ſaxo, pro illorum temporum moribus, viro togato & palliato. Circumſcriptum.

ANNO DOMINI MILLESIMO DUCENTESIMO SEPTUAGESIMO IV. IDUS OCTOBRIS OBIIT WALTHERUS DOMINUS DE M. . . . . . BURCH.

At in Ephemeridibus.

IV. *Idus Octobris obiit VValtherus Dominus de Meiſenburch, qui dedit XXXIV. libras.*

Memorabile eſt, quod de hoc Walthero à maioribus traditum narrant Sanctimoniales. Cœlibem eum duxiſſe vitam, & in eius rei argumentum floreum ſertum circà caput eius ſtatuæ ſculptum; quod alieni ſit arbitrij. Sanè Alexander de Celobrio, Parthenonis Tifferdingani conditor, ſtatuam tumbæ ſuæ incubantem habet, capite floribus coronato; & fuit tamen uxor eius Hadewidis. De Walthero autem addunt, eum effeciſſe, ut apud Luciliburgenſes, cum mares deficerent, puellæ quoque nobiles in hæreditatem ſolidam poſſent ſuccedere, neque *feudis* ſeu clientelaribus bonis exceptis. Unde mos profluxerit, ut ſi quæ deinde puella nobilis hæreditatem adiret, ad Cœnobium MARIAE Vallis veniret, proque pijs Waltheri manibus ſacrum faciendum curaret, eiuſque ſtatuæ caput flore circumdaret; idque ſibi viſum, narrâſſe ſeniores quaſdam è Sanctimonialium numero. Alij porrò præter illos Waltheri Meiſenburgij memorantur in veterum

terum tabulis, unus hâc memoriâ longè anterior, posterior alter, Provinciæ Luciliburgensis Seneschallus seu Gubernator, de quo id acceperim, quod est in Ephemeridibus MARIAE Vallis.

XVI. *Kal. Martias ob. Waltherus de Meisenburgh, qui dedit* V. *libras.*

Hæc de Meisenburgijs paulo pluribus memorâsse; non est, opinor, alienum: cum ad res Yolandæ vel maximè pertineat, Waltheri Dominicani, optimi præceptoris atque doctoris, ipsius parentum commendari posteris memoriam.

CAPUT XXIV.

Yolanda à Philippo Rege Galliæ D. Ludovici filio impetrat spinam coronæ Domini. Mors eius & sepulchrum. Boëmundus Trevirorum Archi-Episcopus dedicat ædem MARIÆ Vallis, quæ propter Yolandam est in summâ veneratione Principum.

INter res Yolandæ memorabiles, illud longè præcellit, quod Philippus Galliæ Rex, D. Ludovici filius, spinam ei ex coronâ Christi Domini donavit, de quâ re nunc differam. Editus est commentariolus Galteri Cornuti, Archi-Episcopi Senonensis, de susceptione coronæ spineæ, quem

quem commentariolum Galterus iussu D. Ludovici conscripsit. Narrat ibi, Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, Margaritæ Comitissæ Viennensis, ut sæpè dixi, fratrem, Yolandæ avunculum, dum res eius Constantinopoli periclitarentur, venisse in Galliam flagitatum auxilia, quod nos quoque alio loco narrabimus. Ludovicum prolixè opitulatum Balduino. Hunc, ut gratiam Ludovico referret, coronam spineam Christi Domini, ob rerum angustias Venetis oppignoratam, donâsse. Ludovicum pecuniam oppignoratitiam Venetis repræsentâsse, & per duos Sodales Ordinis D. Dominici, Iacobum & Andream, litteris Balduini munitos, sacram coronam Constantinopoli opportandam curâsse. Eam denique signaculis argenteis in aureâ cistâ ritè obsignatam, incredibili pompâ Parisijs anno 1239 acceptam. Moritur deindè D. Ludovicus anno 1270. eique succedit Philippus filius. Is, procurante Yolandâ cognatâ eius, misit Sanctimonialibus MARIAE Vallis ex coronâ Christi spinam unam, gestatam à simulachro argenteo Angeli, additis 250 libris nummûm Turonensium. Philippo posthæc anno 1285, pridiè Nonas Octobres defuncto, Virgines MARIAE Vallis 3 Kalendas Octobris anniversarium eius solemne Ephemeridibus ita inscripserunt.

III. KAL. OCT. ANNIVERSARIUM EXCELLENTISSIMI DOMINI PHILIPPI REGIS FRANCIÆ QUI DEDIT NO-

BIS CC. & L. LIBRAS TURONENSES & ARGENTEUM ANGELUM CUM UNA SPINA DE CORONA DOMINI & CRUCEM ARGENTEAM CUM PARTE DE LIGNO DOMINI. HAC DIE HABEBIT CONVENTUS XX. SOLIDOS AD PITANCIAM DE BONIS DE NORTZINGEN.

Hoc porrò viginti ſolidorum congiarium ab ipsa Yolanda conſtitutum fuiſſe videtur, ſiquidem in Ephemeridibus ſcriptum eſt, eam omnium de ſua parentela, de qua & Rex Philippus, annuis parentalibus, ex bonis Nortzinganis, victum Sodalibus præberi iuſſiſſe. Verba Ephemeridum.

VIII. *Idus Ianuarij. Hâc die, in recordationem piæ memoriæ ſororis Yolandis amantiſſimæ Prioriſſæ noſtræ, habebit Conventus ad pitanciam LX. Solidos de bonis de Nortzingen. Quæ quidem bona comparata ſunt de bonis amicorum ac parentum, & de ipsâ ad hoc ordinata, ut fructus ſeu reditus dictorum bonorum ad communem pitanciam conventus diſtribuantur in die Epiphaniæ Domini & anniverſarijs ſpecialiter ad hoc deputatis, prout Kalendario præſenti continetur.*

Cæterùm ſummo meo gaudio vidi coram & veneratus ſum illud Angeli ſimulachrum. Spinam cryſtallo incluſam manibus præfert; eſtque materia argentum inductum auro, magnitudine ferè pedali, donum ſanè, & ſe ipſo, & donantis accipientiſque contemplatione gemmis omnibus

longe

longè anteferendum. Atque hæc ſunt, quæ de Yolandâ accepimus: multa, profectò, ſi ſequimur exemplum, at pauca pro deſiderio noſtro, omnia eius cognoſcere optantium.

Obijt anno MCCLXXXIII. VI. Kalendas Ianuarias. Sepulta verò in medio *choro*, quem vocant, ubi virgines hymnos ſacros pſallunt: viſiturque hodiè tumba eius pedibus fermè duobus à pavimento in altum educta. Lapidis planicies effigiem Yolandæ refert, vitri ſegmentis aptè cohærentibus, & encauſto infernè pictis expreſſam, habitu Sanctimonialis. Circumſcriptum epitaphium litteris uncialibus, in cruſtâ vitreâ, encauſto, ſubiectâque auri tenuiſſimâ bracteâ fulgente. Opus integrum vidi adoleſcens. Nunc iniuriâ temporum ſuperiora à capite ad pectus diffracta ſunt, niſi quod manifeſta durant ſacræ ædis, cum tecto turris in pyramidem educto, veſtigia. Hanc ædem ſuſtentabat brachium dextrum, quâ ſpecie maiores noſtri Divorum, qui templa cœnobiave condidêre, formare ſolebant imagines. Yolandæ autem ea ſpecies attributa eſt, quod cœnobium MARIAE Vallis, tenue antea atque exile, rebus & diſciplinâ ita provexerit, ut merito primâ eius auctrix id fundâſſe cenſeri poſſit. Certe ædem ſacram, ut de ceteris nihil dicam, ab Yolandâ fuiſſe conditam, ſuadet tumulus matris eius ab eâdem Yolandâ factus. Tumba item Waltheri Meiſenburgij, totis XIII. annis antè Yolandam defuncti inque eâdem æde conditi.

Quæ tumbæ sub arcubus intrà muros positæ, antiquitate & litterarum formâ Yolandæ tempora profitentur. Quod ergò ex ephemeridibus postea adnotabitur, Boëmundum Trevirorum Archi-Episcopum anno demum M. CC. XCVI. templum MARIAE Vallis dedicavisse, id non ita acceperim, quasi à Ponçettâ Meisenburgicà, quæ Yolandæ in Priorissæ munere successit, ædificatum, Boëmundus tam serò consecraverit: sed adiectis post Yolandam fortasse partibus, omnia ipse sacris ceremonijs initiaverit. Unde dedicâsse dicitur *totam Ecclesiam* & consecrâsse *altare maius in Ecclesiâ*, aliudque *in choro*. Nunc epitaphium Yolandæ, quoniam priscâ litterarum formâ, & contractione vocabulorum haud facile lectu est, litteris nostri usus, integrisque vocibus adscribatur.

HIC IACET PIÆ MEMORIÆ SOROR YOLANDIS PRIORISSA HUIUS LOCI ILLUSTRIS VIRI HENRICI COMITIS ET MARGARETÆ COMITISSÆ VIAN. FILIA CUIUS HÆC MATER PRÆDICTA SOROR FUIT BALDEWINI IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI SUB EA AUTEM ORDO SANCTISSIME VIXIT INCREMENTUM ACCEPERUNT RELIGIO ET RES ORDINIS OBIIT PRIORATUS SUI ANNO XXV. ÆTATIS VERO SUÆ CIRCITER L. ANNO DO-


hic.iacet.pie memorie.soror.Yolandis

DOMINI 1283. XVI. KAL. JANUARIJ.

Ex manu ſiniſtrâ Yolandæ ſinuatum teniæ oblongæ modo ſchedion deorsùm fluit, his notatum litteris.

Chriſte qui me creâſti, & tuliſti à me amorem ſeculi, qui corpus meum à pollutione ſeparaſti, iube me ad tuam miſericordiam pervenire.

Circà tumuli ſaxeam crepidinem, verſus olim ſcriptus erat, ſed nunc ætate evanuit, niſi quod alicubi Yolandæ nomen, licet ægrè, legi poteſt, uti & hæc de eâ verba

...REGUM COMITUMQUE BEATA EDITA PROGENIE......

In Ephemeridibus tale eſt Yolandæ elogium, ſed cum mendâ in anno mortis eius.

XVI. *Kal. Ianuarij obijt ſoror Yolandis felicis memoriæ, Prioriſſa, filia illuſtriſsimi domini* Henrici Comitis *Viennenſis, & Margaritæ Comitiſſæ de Viennâ, quæ vitâ laudabili, morumque honeſtate ceteris præclarior, religiosè & amabiliter monaſterij noſtri conventum rexit pluſquam XXV. annis. Cuius quidem religioſæ & ſanctæ converſationis formâ, humilitatis & caritatis exemplo, quamplures fratrum & ſororum & aliorum ſæcularium perſonæ religionis non modicum ceperunt incrementum. Inſuper & locum noſtrum theſauro glorioſo, ligni ſcilicet Dominicæ crucis, & ſpinæ de coronâ Domini, cum alijs quampluribus SS. Reliquijs per ſuam illuſtrem providentiam ditavit abundè. Poſſeſsiones & ædificationes totius monaſterij noſtri, cum magno Eccleſiæ ornatu & libris mul-*

tis providentissimâ suâ procuratione, matrisque suæ & parentum & amicorum ipsius cooperatione, largissimè ampliavit, præsentis sic vitæ cursum in Domino feliciter consummando, anno Domini M.CC.LXXXI. lege M.CC.LXXXIII. *Hâc die habebit conventus ad pitanciam XL. Solidos de bonis in Nortzingen.*

Elenchus Priorissarum MARIAE Vallis concinnatus hoc ineunte seculo, Yolandæ sufficit Poncettam Meisenburgicam, sed errore, non excussis rectè veteribus monimentis. In tabulis quippe anni M.CC.LXXV. biennio post Yolandam, ita habetur. *Soror Katherina, Priorissa Vallis S. MARIÆ.* Hæc itaque Catharina, licet ex quâ nobili gente nata sit, nos lateat, Yolandam in munere excepit; quam deindè secuta est Poncetta Meisenburgica.

Prodigia multa atque magna patrâsse Yolandam cum viveret, & maximè cum sodalibus præesset, auctor est Hermannus. Sed hæc cuncta cum postremis libri ipsius folijs irreparabili damno periêre. Unicum paginæ ultimæ adhæsit tale.

Cum tantâ illâ custodiâ circumsepta esset, ut neque litteras, neque nuntium cuiquam mittere, aut accipere ei fas esset, imò ne soli quidem esse liceret, quin adessent perpetuò, qui eam observarent, rationem tamen commenta est, quâ ad Patres Prædicatores scribere posset epistolam. Sub serum diei, cum iam nox esset, iussis ad sua conclavia cubitum ire matronis atque puellis, lumen inexstinctum reliquit. Ex matronis una non

condormierat. Hæc ubi [seu per fenestras, seu per rimam, seu aliâ ratione] lumen animadvertit, subitò consurgens ad Yolandæ cubiculum properat stomachabunda. Sentit advenientem Yolanda, moxque candelam, ut erat ardens, in stramen immittit ac decumbit, nec sollicita excitandi incendij. Inter hæc matrona cubiculum Yolandæ ingreditur. Sed nullo animadverso lumine, cubitum redit, solâ Yolandâ relictâ. Illa mox consurgens candelam è stramine planè ardentem & flammantem educit, stramine ne ambusto quidem, atque inter gaudium ac metum exarat, quas cœperat scribere litteras, ac tandem securè lecto se componit.

Narrat deindè Hermannus, Yolandam, cum cœnobium gubernaret, venisse aliquando ad Sanctimoniales ægrotas mensæ accumbentes: sed quid ibi factum codex hîc abruptus cum cæteris Yolandæ miraculis posterorum memoriæ eripuit.

Quanquam quid miracula eius nobis deesse querimur, cum incomparabilis illa eius inter tot & tam varios & tam acres, tamque diuturnos omnis ætatis & conditionis hominum insultus, in benè cœptis constantia, ingens sanè maximumque sit miraculum. Quod utinam non mirari tantùm aut laudare, sed etiam imitari plurimos, qui res eius gestas legent, aliquando contingat, ut tam illustri exemplo hactenus sub tenebris longæ oblivionis delitescenti cum fenore honor suus suaque gloria restituantur. Quod autem tradit Hermannus

mannus, Yolandâ defunctâ & sepulchro condita, constitisse ipsius causa cœnobio MARIAE Vallis ingentem ubique maximorum hominum venerationem & cultum, quandò id ad res Yolandæ plurimum pertinet, sub texam in eo genere illustria quædam, Yolandæ temporibus vicina, pleraque ex Ephemeridibus toties à me laudatis. Ita enim in ijs ad certos dies scriptum invenio.

VIII. *Idus Ianuarij. Dedicatio totius Ecclesiæ & consecratio altaris maioris in Ecclesia & altaris in choro, quæ facta est à venerabili D. Boëmundo Trevirorum Archi-Episcopo, anno Domini* 1296. *& translata est festivitas à prædicto Archi-Episcopo in octavam Paschæ. Huic Domino promisimus per patentes litteras nostris sigillis sigillatas, quod post mortem eius in omni suo Anniversario memoriam eius semper faciemus solemniter in vigilijs & missis.*

Creatus est Boëmundus Archi-Episcopus anno 1288. obijtque 1299. deque eo ita in Ephemeridibus.

III. Idus Decembris obijt Dominus Boëmundus Archi-Episcopus Trever.

Eximiè quoque MARIAE Vallem coluit Henricus de Grandi-Sono, Burgundus, Comitibus Chiniacensibus sanguine iunctus, Virodunensis Episcopus, electus anno 1276. mortuus 1280. Ephemerides.

VI. Idus Ianuarias Anniversarium piæ memoriæ venerabilis & præferendi Domini Henrici Episcopi Virdunensis, qui nos & monasterium nostrum singulari prosequebatur

batur favore, nobis semper, ut fidelis pater, & amicus promotor existens & benefactor.

De Philippi regis Galliæ ergà Vallem MARIAE munificentiâ dictum est. Isabella uxor eius, suo etiam merito in Ephemerides relata est.

VI. Kal. Februarias obijt illustrissima Regina Franciæ Ysabellis.

Eisdem Ephemeridibus inscripta est egregia benefactrix Beatrix, uxor Henrici Comitis Luciliburgensis, anno 1288. in memorabili illo ad Buruncum prælio cæsi.

V. Kal. Martias Anniversarium illustrissimæ Dominæ Beatricis Comitissæ Lucemb. de quâ adhuc vivente accepimus 126. libras Turonenses pro suo Anniversario, similiter & Domini Comitis collateralis sui, annuè recolendo.

Erat Beatrix filia Ioannis I. Avesnensis, maritoque supervixit. De marito autem hæc est in Ephemeridibus memoria.

Nonis Iunij, obijt illustris Henricus Comes Lucemburgensis.

Occubuerat ille, ut dictum, in prælio ad Buruncum, Nonis Iunij anno 1288. Exindè domi res aliquantùm turbatæ. Erat Beatrici ex Henrico filius Henricus, tùm adolescens, factus dein Imperator. Hunc cives Luciliburgenses, nescio quâ, iniuria affecerant, revocato fortasse in dubium paternæ successionis iure. Sed anno sequenti, die Sabbati, post medium verni ieiunij, Iudex & Magistratus Luciliburgensis in cœnobio PP. Franciscanorum Luciliburgi pace facta in

concordiam rediêre, præſidibus Godefrido de Eſch, Senatu, & multis clientium Luciliburgenſium. Civitas, ſtabiliendæ paci ter mille libras nummûm Trevirenſium addixit. Interim dum hæc concordia refertur in tabulas, viſa eſt Beatrix Luciliburgo procul agitaſſe, ceu rebus nondum ſat firmatis. Quo retulerim, quod IV. Nonas Julias, feſta luce DD. Proceſſi & Martiniani, hoc eodem anno, ad Mariae Vallem, virginibus cœnobij S. Spiritus Luciliburgenſis, lignationem in ſilva Andethanna unà cum filio Henrico conceſſit. Tabulas ea de re autrographas ipſe vidi, hac obſervatione memorabili, quod Henricum filium ſuum Beatrix appellat *verum heredem & Comitem* Luciliburgenſem; ut pronum ſit opinari, fuiſſe, qui id in controverſiam vocarent, eamque eſſe Henrico illatam, de qua ſupra dixi, iniuriam. Verum compoſita deinde res, & Sabbato antè ferias D. Chriſtophori comprehenſa tabulis publicis, quæ vere nupero inita fuerat, concordia.

Maria Philippi, quem dixi, Regis Galliæ ſecunda uxor, filia Henrici & ſoror Ioannis Brabantię Ducum, maritum benefaciendo imitata, talem habet in Ephemeridibus memoriam.

XI. Kal. Aprilis Anniverſarium illuſtriſſimæ Dominæ Mariæ Reginæ Franciæ, quæ dedit nobis D. libras Turonenſes.

Margarita Henrici, cognomento Magni, Comitis Luciliburgenſis filia, nunquam nupta, vir-

ginibus

ginibus MARIAE Vallis vitę celibis, ut credere par est, similitudine, mirè fuit addicta. Ephemerides.

XV. Kal. Maias obijt illustris Domicella Margareta Lucemburgensis, quæ nostrum monasterium, ut sæpe potuit, singulari semper diligebat affectu.

Fuit & Yolanda alia Comitis Luciliburgensis filia; sed an Henrico, cognomento Magno, an filio eius ad Buruncum cęso nata, incertum. Alterutrius fuisse filiam, haud dubium, non tamen Henrici, eius qui Imperium deindè adeptus est, quia is non *Comes*, sed, ut dixi, erat Imperator; nisi antè eius imperium Yolandam decessisse dixeris. De ea Ephemerides.

VI. Idus Iulij, obijt Domicella Yolandis, filia comitis Lucemburgensis.

Margarita fuit uxor Ioannis II. Brabantię Ducis, filij Ioannis I. celeberrimi illius ad Buruncum triumphatoris. Dę eius ergà MARIAE Vallem benevolentia, sic Ephemerides.

Nonis Iulij obijt Margareta Ducissa Brabantiæ, quæ dedit X. libras.

Jam anno 1294. erat Margarita in Ioannis matrimonio, obijtque 1318.

Sequitur altera in ephemeridibus Yolanda, Henrici Luciliburgensis Comitis filia, sed cuius Henrici, incompertum. Fuisse innuptam, probat *Domicellæ* titulus, sed alterum Hirsbergi titulum, malo fateri non intelligere me, quam coniectando, quod possem, errori me committere. Ephemerides. *IV. Kal.*

IV. Kal. Septembris obijt Domicilla Yolandis de Hirsberg, filia domini Henrici Comitis Lucemburgensis, de quâ habuimus XVI. libras Turonenses.

Nobilissima fuit gens Brunishorniorum. Ea Theodericum anno 1293. cœnobio D. maximini apud Trevitos Abbatem dedit. Quoniam verò MARIAE Vallis sita est intrà fines parœciæ Marischensis, quæ ab antiquo est Maximinianorum; hinc causa inter alia exstiterit, cur Theodoricus tantâ liberalitate Vallem prosecutus sit, quanta in Ephemeridibus describitur.

X. Kal. Octobris obijt Dominus Theodoricus de Brunshorn Abbas S. Maximini Treviri, qui adhuc in vitâ existens contulit nobis in promptâ pecuniâ C. & XX. Turon. pro remissione animæ suæ, nihilominus & Anniversario suo & parentum ac amicorum suorum annuatim celebrando & memoriâ suâ, cum speciali Missâ, singulis mensibus faciendâ. Hâc die habebit Conventus ad pitantiam V. libras.

Non præterierim hoc loco Godefridum Abbatem, Theodorici decessorem. Origo ei ex equestri Holfeltziorum gente apud Luciliburgios; quæ gens arcem sui nominis vetustissimam MARIAE Valli proximè hærentem habet, ut suprà memoravi, & pleriq́ue eius gentis Proceres iam olim in æde MARIAE Vallis sepulti sunt, exstantq́ue etiam hodiè veteres tumbæ, nullis inscriptæ nominibus, sed notatæ tantùm gentis insignijs, more Polyandriorum. Vixit Godefridus anno 1288. Obijtque 4. Kal. Februarias,

rias, anno 1303. De eo Ephemerides.

XVI. Kal. Martij Anniversarium Domini Godefridi de Holveltz quondam Abbatis S. Maximini Trever.

APPENDIX.

Margarita Henrici VII. Imperatoris Romanorum Soror fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, & post Poncettam Meisenburgiam creatur Priorissa. Sub eâ mirificè floret MARIÆ Vallis. Cultus ibi Divus Petrus Martyr. Eius Sepulchrum & Elogium.

HActenus argumentis satis dedisse videor, verè Hermannum scripsisse, cum Yolandæ memoriam dixit in magnâ fuisse optimatum illustriumque hominum existimatione; cui rei pro coronide addo accessionem gloriæ ingentem MARIAE Vallis factam à Margaritâ, sorore Henrici, ex Comite Luciliburgensi Imperatoris Romanorum eo nomine VII.

Hæc Yolandæ exemplo, Ordini D. Dominici sese dicavit ad MARIAE Vallem. Ibi iam Catharina incompertæ stirpis, cuius exstant tabulæ anni 1285. Yolandæ in Antistitis munere successerat, hancque ordine in eodem Magistratu exceperant Poncetta Meisenburgica & Aleyda, cuius meminêre tabulæ anni 1303. cum tandem

Mar-

Margarita in Priorissam electa est. Eâ autem rerum potiente vel maximè cœnobium effloruit, tùm re familiari atque ædificijs amplificatis, tùm Principum gentis Luciliburgensis, aliorumque summorum virorum, gratiâ atque favore; tùm verò maximè virtute & disciplinâ. Et disciplinam quidem, simul atque familiæ Præses esse cœpit, longè florentissimam invenit; quod vel ex Sanctimonialium numero, qui tùm centenario maior erat, intelligitur. In tabulis enim Boemundi Trevirorum Archi-Episcopi, editis anno 1297. proximè post Poncettæ Meisenburgicæ decessum, sub ipsa Margaritæ initia, scriptum invenio, fuisse Sanctimoniales ad MARIAE Vallem *centum fere & viginti*. Et verò hodieque in *choro* virginum spectantur totidem sedilia, hymnis divinisque laudibus decantandis, opere perantiquo elaborata, quanto argumento piæ æmulationis & certaminis in virtute colendâ; dum alia alteri palmam in eo genere eripere studeret, ut in magno proborum numero fieri assolet!

Nec privatim tantùm mores tùm florebant, sed foras etiam pietas vulgò emicabat. In iisdem quippe tabulis scriptum est, *hospites innumerabiliter* ad MARIAE Vallem *confluere*, & liberalissimè à Sanctimonialibus accipi solitos. Nimirum sanctitate loci tot exciti mortales, sacra D. Virginis limina, aut fortè iam tùm etiam D. Petrum Martyrem, cognomento Mediolanensem, magnum illud ordinis D. Dominici lumen, supplices

Quæ tumbæ sub arcubus intrà muros positæ, antiquitate & litterarum formâ Yolandæ tempora profitentur. Quod ergò ex ephemeridibus postea adnotabitur, Boëmundum Trevirorum Archi-Episcopum anno demum M. CC. XCVI. templum MARIAE Vallis dedicavisse, id non ita acceperim, quasi à Ponçettâ Meisenburgicâ, quæ Yolandæ in Priorissæ munere successit, ædificatum, Boëmundus tam serò consecraverit: sed adiectis post Yolandam fortasse partibus, omnia ipse sacris ceremoniis initiaverit. Unde dedicâsse dicitur *totam Ecclesiam* & consecrâsse *altare maius in Ecclesiâ*, aliudque *in choro*. Nunc epitaphium Yolandæ, quoniam priscâ litterarum formâ, & contractione vocabulorum haud facile lectu est, litteris nostri usus, integrisque vocibus adscribatur.

HIC IACET PIÆ MEMORIÆ SOROR YOLANDIS PRIORISSA HUIUS LOCI ILLUSTRIS VIRI HENRICI COMITIS ET MARGARETÆ COMITISSÆ VIAN. FILIA CUIUS HÆC MATER PRÆDICTA SOROR FUIT BALDEWINI IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI SUB EA AUTEM ORDO SANCTISSIME VIXIT INCREMENTUM ACCEPERUNT RELIGIO ET RES ORDINIS OBIIT PRIORATUS SUI ANNO XXV, ÆTATIS VERO SUÆ CIRCITER L. ANNO DO-


HIC IACET PIÆ MEMORIÆ SOROR YOLANDIS

DOMINI 1283. XVI. KAL. JANUARIJ.

Ex manu ſiniſtrâ Yolandæ ſinuatum teniæ oblongæ modo ſchedion deorsùm fluit, his notatum litteris.

Chriſte qui me creâſti, & tuliſti à me amorem ſeculi, qui corpus meum à pollutione ſeparaſti, iube me ad tuam miſericordiam pervenire.

Circà tumuli ſaxeam crepidinem, verſus olim ſcriptus erat, ſed nunc ætate evanuit, niſi quod alicubi Yolandæ nomen, licet ægrè, legi poteſt, uti & hæc de eâ verba

t... REGUM COMITUMQUE BEATA EDITA PROGENIE......

In Ephemeridibus tale eſt Yolandæ elogium, ſed cum mendâ in anno mortis eius.

XVI. *Kal. Ianuarij obijt ſoror Yolandis felicis memoriæ, Prioriſſa, filia illuſtriſſimi domini Henrici Comitis Viennenſis, & Margaritæ Comitiſſæ de Viennâ, quæ vitâ laudabili, morumque honeſtate ceteris præclarior, religiosè & amabiliter monaſterij noſtri conventum rexit pluſquam XXV. annis. Cuius quidem religioſæ & ſanctæ converſationis formâ, humilitatis & caritatis exemplo, quamplures fratrum & ſororum & aliorum ſæcularium perſonæ religionis non modicum ceperunt incrementum. Inſuper & locum noſtrum theſauro glorioſo, ligni ſcilicet Dominicæ crucis, & ſpinæ de coronâ Domini, cum alijs quampluribus SS. Reliquijs per ſuam illuſtrem providentiam ditavit abundè. Poſſeſſiones & ædificationes totius monaſterij noſtri, cum magno Eccleſiæ ornatu & libris multis*

tis providentissimâ suâ procuratione, matrisque suæ & parentum & amicorum ipsiuscooperatione, largissimè ampliavit, præsentis sic vitæ cursum in Domino feliciter consummando, anno Domini M.CC.LXXXI. lege M.CC. LXXXIII. *Hâc die habebit conventus ad pitanciam XL. Solidos de bonis in* Nortzingen.

Elenchus Priorissarum MARIAE Vallis concinnatus hoc ineunte seculo, Yolandæ sufficit Poncettam Meisenburgicam, sed errore, non excussis rectè veteribus monimentis. In tabulis quippe anni M. CC. LXXV. biennio post Yolandam, ita habetur. *Soror Katherina, Priorissa Vallis S. MARIÆ.* Hæc itaque Catharina, licet ex quâ nobili gente nata sit, nos lateat, Yolandam in munere excepit; quam deindè secuta est Poncetta Meisenburgica.

Prodigia multa atque magna patrâsse Yolandam cum viveret, & maximè cum sodalibus preesset, auctor est Hermannus. Sed hæc cuncta cum postremis libri ipsius folijs irreparabili damno periêre. Unicum paginæ ultimæ adhæsit tale.

Cum tantâ illâ custodiâ circumsepta esset, ut neque litteras, neque nuntium cuiquam mittere, aut accipere ei fas esset, imò ne soli quidem esse liceret, quin adessent perpetuò, qui eam observarent, rationem tamen commenta est, quâ ad Patres Prædicatores scribere posset epistolam. Sub serum diei, cum iam nox esset, iussis ad sua conclavia cubitum ire matronis atque puellis, lumen inexstinctum reliquit. Ex matronis una non

condormierat. Hæc ubi [seu per fenestras, seu per rimam, seu aliâ ratione] lumen animadvertit, subitò consurgens ad Yolandæ cubiculum properat stomachabunda. Sentit advenientem Yolanda, moxque candelam, ut erat ardens, in stramen immittit ac decumbit, nec sollicita excitandi incendij. Inter hæc matrona cubiculum Yolandæ ingreditur. Sed nullo animadverso lumine, cubitum redit, solâ Yolandâ relictâ. Illa mox consurgens candelam è stramine planè ardentem & flammantem educit, stramine ne ambusto quidem, atque inter gaudium ac metum exarat, quas cœperat scribere litteras, ac tandem securè lecto se componit.

Narrat deindè Hermannus, Yolandam, cum cœnobium gubernaret, venisse aliquando ad Sanctimoniales ægrotas mensæ accumbentes: sed quid ibi factum codex hîc abruptus cum cæteris Yolandæ miraculis posterorum memoriæ eripuit.

Quanquam quid miracula eius nobis deesse querimur, cum incomparabilis illa eius inter tot & tam varios & tam acres, tamque diuturnos omnis ætatis & conditionis hominum insultus, in benè cœptis constantia, ingens sanè maximumque sit miraculum. Quod utinam non mirari tantùm aut laudare, sed etiam imitari plurimos, qui res eius gestas legent, aliquando contingat, ut tam illustri exemplo hactenus sub tenebris longæ oblivionis delitescenti cum fenore honor suus suaque gloria restituantur. Quod autem tradit Hermannus

mannus, Yolandâ defunctâ & sepulchro condita, constitisse ipsius causa cœnobio Mariae Vallis ingentem ubique maximorum hominum venerationem & cultum, quandò id ad res Yolandæ plurimum pertinet, sub texam in eo genere illustria quædam, Yolandæ temporibus vicina, pleraque ex Ephemeridibus toties à me laudatis. Ita enim in ijs ad certos dies scriptum invenio.

VIII. *Idus Ianuarij. Dedicatio totius Ecclesiæ & consecratio altaris maioris in Ecclesia & altaris in choro, quæ facta est à venerabili D. Boëmundo Trevirorum Archi-Episcopo, anno Domini* 1296. *& translata est festivitas à prædicto Archi-Episcopo in octavam Paschæ. Huic Domino promisimus per patentes litteras nostris sigillis sigillatas, quod post mortem eius in omni suo Anniversario memoriam eius semper faciemus solemniter in vigilijs & missis.*

Creatus est Boëmundus Archi-Episcopus anno 1288. obijtque 1299. deque eo ita in Ephemeridibus.

III. Idus Decembris obijt Dominus Boëmundus Archi-Episcopus Trever.

Eximiè quoque Mariae Vallem coluit Henricus de Grandi-Sono, Burgundus, Comitibus Chiniacenbus sanguine iunctus, Virodunensis Episcopus, electus anno 1276. mortuus 1280. Ephemerides.

VI. Idus Ianuarias Anniversarium piæ memoriæ venerabilis & præferendi Domini Henrici Episcopi Virdunensis, qui nos & monasterium nostrum singulari prosequebatur

batur favore, nobis semper, ut fidelis pater, & amicus promotor existens & benefactor.

De Philippi regis Galliæ ergà Vallem MARIAE munificentiâ dictum est. Isabella uxor eius, suo etiam merito in Ephemerides relata est.

VI. Kal. Februarias obijt illustrissima Regina Franciæ Ysabellis.

Eisdem Ephemeridibus inscripta est egregia benefactrix Beatrix, uxor Henrici Comitis Luciliburgensis, anno 1288. in memorabili illo ad Buruncum prælio cæsi.

V. Kal. Martias Anniversarium illustrissimæ Dominæ Beatricis Comitissæ Lucemb. de quâ adhuc vivente accepimus 126. libras Turonenses pro suo Anniversario, similiter & Domini Comitis collateralis sui, annuè recolendo.

Erat Beatrix filia Ioannis I. Avesnensis, maritoque supervixit. De marito autem hæc est in Ephemeridibus memoria.

Nonis Iunij, obijt illustris Henricus Comes Lucemburgensis.

Occubuerat ille, ut dictum, in prælio ad Buruncum, Nonis Iunij anno 1288. Exindè domi res aliquantùm turbatæ. Erat Beatrici ex Henrico filius Henricus, tùm adolescens, factus dein Imperator. Hunc cives Luciliburgenses, nescio quâ, iniuria affecerant, revocato fortassè in dubium paternæ successionis iure. Sed anno sequenti, die Sabbati, post medium verni ieiunij, Iudex & Magistratus Luciliburgensis in cœnobio PP. Franciscanorum Luciliburgi pace facta in

concordiam rediêre, præsidibus Godefrido de Esch, Senatu, & multis clientium Luciliburgensium. Civitas, stabiliendæ paci ter mille libras nummûm Trevirensium addixit. Interim dum hæc concordia refertur in tabulas, visa est Beatrix Luciliburgo procul agitasse, ceu rebus nondum sat firmatis. Quo retulerim, quod IV. Nonas Julias, festa luce DD. Processi & Martiniani, hoc eodem anno, ad MARIAE Vallem, virginibus cœnobij S. Spiritus Luciliburgensis, lignationem in silva Andethanna unà cum filio Henrico concessit. Tabulas ea de re autrographas ipse vidi, hac observatione memorabili, quod Henricum filium suum Beatrix appellat *verum heredem & Comitem* Luciliburgensem; ut pronum sit opinari, fuisse, qui id in controversiam vocarent, eamque esse Henrico illatam, de qua supra dixi, iniuriam. Verum composita deinde res, & Sabbato antè ferias D. Christophori comprehensa tabulis publicis, quæ vere nupero inita fuerat, concordia.

Maria Philippi, quem dixi, Regis Galliæ secunda uxor, filia Henrici & soror Ioannis Brabantię Ducum, maritum benefaciendo imitata, talem habet in Ephemeridibus memoriam.

XI. Kal. Aprilis Anniversarium illustrissimæ Dominæ Mariæ Reginæ Franciæ, quæ dedit nobis D. libras Turonenses.

Margarita Henrici, cognomento Magni, Comitis Luciliburgensis filia, nunquam nupta, virginibus

ginibus MARIAE Vallis vitę celibis, ut credere par est, similitudine, mirè fuit addicta. Ephemerides.

XV. Kal. Maias obijt illustris Domicella Margareta Lucemburgensis, quæ nostrum monasterium, ut sæpe potuit, singulari semper diligebat affectu.

Fuit & Yolanda alia Comitis Luciliburgensis filia, sed an Henrico, cognomento Magno, an filio eius ad Buruncum cęso nata, incertum. Alterutrius fuisse filiam, haud dubium, non tamen Henrici, eius qui Imperium deindè adeptus est, quia is non *Comes*, sed, ut dixi, erat Imperator; nisi antè eius imperium Yolandam decessisse dixeris. De ea Ephemerides.

VI. Idus Iulij, obijt Domicella Yolandis, filia comitis Lucemburgensis.

Margarita fuit uxor Ioannis II. Brabantię Ducis; filij Ioannis I. celeberrimi illius ad Buruncum triumphatoris. De eius ergà MARIAE Vallem benevolentia, sic Ephemerides.

Nonis Iulij obijt Margareta Ducissa Brabantiæ, quæ dedit X. libras.

Jam anno 1294. erat Margarita in Ioannis matrimonio, obijtque 1318.

Sequitur altera in ephemeridibus Yolanda, Henrici Luciliburgensis Comitis filia, sed cuius Henrici, incompertum. Fuisse innuptam, probat *Domicellæ* titulus, sed alterum Hirsbergi titulum, malo fateri non intelligere me, quam coniectando, quod possem, errori me committere. Ephemerides. *IV. Kal.*

IV. Kal. Septembris obijt Domicilla Yolandis de Hirsberg, filia domini Henrici Comitis Lucemburgensis, de quâ habuimus XVI. libras Turonenses.

Nobilissima fuit gens Brunishorniorum. Ea Theodericum anno 1293. cœnobio D. maximini apud Trevitos Abbatem dedit. Quoniam verò MARIAE Vallis sita est intrà fines parœciæ Marischensis, quæ ab antiquo est Maximinianorum; hinc causa inter alia exstiterit, cur Theodoricus tantâ liberalitate Vallem prosecutus sit, quanta in Ephemeridibus describitur.

X. Kal. Octobris obijt Dominus Theodoricus de Brunshorn Abbas S. Maximini Treviri, qui adhuc in vitâ existens contulit nobis in promptâ pecuniâ C. & XX. Turon. pro remissione animæ suæ, nihilominus & Anniversario suo & parentum ac amicorum suorum annuatim celebrando & memoriâ suâ, cum speciali Missâ, singulis mensibus faciendâ. Hâc die habebit Conventus ad pitantiam V. libras.

Non præterierim hoc loco Godefridum Abbatem, Theodorici decessorem. Origo ei ex equestri Holfeltziorum gente apud Luciliburgios; quæ gens arcem sui nominis vetustissimam MARIAE Valli proximè hærentem habet, ut suprà memoravi, & plerique eius gentis Proceres iam olim in æde MARIAE Vallis sepulti sunt, exstantque etiam hodiè veteres tumbæ, nullis inscriptæ nominibus, sed notatæ tantùm gentis insignijs, more Polyandriorum. Vixit Godefridus anno 1288. Obijtque 4. Kal. Februarias,

rias, anno 1303. De eo Ephemerides.

XVI. Kal. Martij Anniversarium Domini Godefridi de Holveltz quondam Abbatis S. Maximini Trever.

APPENDIX.

Margarita Henrici VII. Imperatoris Romanorum Soror fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, & post Poncettam Meisenburgiam creatur Priorissa. Sub eâ mirificè floret MARIÆ Vallis. Cultus ibi Divus Petrus Martyr. Eius Sepulchrum & Elogium.

HActenus argumentis satis dedisse videor, verè Hermannum scripsisse, cum Yolandæ memoriam dixit in magnâ fuisse optimatum illustriumque hominum existimatione; cui rei pro coronide addo accessionem gloriæ ingentem MARIAE Vallis factam à Margaritâ, sorore Henrici, ex Comite Luciliburgensi Imperatoris Romanorum eo nomine VII.

Hæc Yolandæ exemplo, Ordini D. Dominici sese dicavit ad MARIAE Vallem. Ibi iam Catharina incompertæ stirpis, cuius exstant tabulæ anni 1285. Yolandæ in Antistitis munere successerat, hancque ordine in eodem Magistratu exceperant Poncetta Meisenburgica & Aleyda, cuius meminêre tabulæ anni 1303. cum tandem

Mar-

Margarita in Priorissam electa est. Eâ autem rerum potiente vel maximè cœnobium effloruit, tùm re familiari atque ædificijs amplificatis, tùm Principum gentis Luciliburgensis, aliorumque summorum virorum, gratiâ atque favore; tùm verò maximè virtute & disciplinâ. Et disciplinam quidem, simul atque familiæ Præses esse cœpit, longè florentissimam invenit; quod vel ex Sanctimonialium numero, qui tùm centenario maior erat, intelligitur. In tabulis enim Boemundi Trevirorum Archi-Episcopi, editis anno 1297. proximè post Poncettæ Meisenburgicæ decessum, sub ipsa Margaritæ initia, scriptum invenio, fuisse Sanctimoniales ad MARIAE Vallem *centum fere & viginti.* Et verò hodieque in *choro* virginum spectantur totidem sedilia, hymnis divinisque laudibus decantandis, opere perantiquo elaborata, quanto argumento piæ æmulationis & certaminis in virtute colendâ; dum alia alteri palmam in eo genere eripere studeret, ut in magno proborum numero fieri assolet!

Nec privatim tantùm mores tùm florebant, sed foras etiam pietas vulgò emicabat. In iisdem quippe tabulis scriptum est, *hospites innumerabiliter* ad MARIAE Vallem *confluere*, & liberalissimè à Sanctimonialibus accipi solitos. Nimirum sanctitate loci tot exciti mortales, sacra D. Virginis limina, aut fortè iam tùm etiam D. Petrum Martyrem, cognomento Mediolanensem, magnum illud ordinis D. Dominici lumen, supplices adibant

adibant. Certè perantiquum esse eius Divi ad Vallem MARIAE cultum, pro indubitato accepimus, & iam sub annum 1267. Johannes à Jubileo, Canonicus Leodiensis, ex veteri nobilique vico Judicio propè Theodonis Villam oriundus, pro se & Henrico Episcopo Traiectensi, Yolandæ fratre, lege funebri sancivit, ut dicerentur *tres Missæ per singulas hebdomadas S. Petri Martyris.* Exstat in sacrario ædis MARIAE Vallis statua D. Petri pervetus, ingenti cerimoniâ venerabilis. Pueros adferunt, & bilanci impositos, pari pondere frumenti redimunt, tantâ frequentiâ, ut omnibus fermè diebus ea cerimonia cum prece votorumque solutione obeatur, valetudine innumerabilibus pueris restituta.

Ceterùm, vt disciplinam florentem Margarita in Præfecturæ suæ initio invenit, ita eam naviter excoluit, cum rei familiaris optimè procurato auctario. De pecunia ingenti, deque structuris, quibus cœnobium adauxit, scriptum est in eius elogio, quod posteà subnectam. De Principum Luciliburgensium aliorumque Margaritæ amicorum benevolentiâ ac liberalitate, ista diversis diebus in Ephemeridibus habentur, quibus commemorandis, ordine temporum feremur, adiectis subindè observationibus.

Henricus Comes Luciliburgensis, Margaritæ frater, ad imperium evectus & in Italiam profectus, Brixiam anno 1310. obsedit. In eâ obsidione Walramus eius frater sagittâ ictus occubuit. Ephemerides. *IX. Kal.*

IX. Kal. Augusti Obijt Illust. Dominus Walramus, germanus serenissimi Domini Henrici Imperatoris, de quo habuimus V. libras annui censu in molendino, quod dicitur Passino Win, sito apud Lucenburg.

Anno sequenti 1311. immenso Cæsaris luctu Margarita eius uxor Genuæ decessit. Ephemerides.

Idus Decembris obijt Illustrissima Domina Margareta, quondam Imperatrix, quæ nobis multa bona fecit, & in promptâ pecuniâ nobis dedit D. libras Turonenses.

Bizarrus Genuæ sepultam tradit. Tanta tamque cara funera secutus est ipse Henricus Augustus, mortuus in agro Senensi anno 1313. 19. Kal. Augusti. Ephemerides.

XI. Kal. Septembris anniversarium Serenissimi Principis Domini Henrici, quondam Imperatoris, Romanorum qui prosecutione favorabili nos & nostrum monasterium semper paternè protegens, in perpetuum & annuatim nobis dedit V. carratas vini in Makeren. Hâc die habebit conventus ad pitantiam V. libras.

Non possum hoc loco mihi temperare, quin Augusti illius Henrici nostri Imperatoris attexam insigne elogium ex Ordolfo, qui iussu Balduini Archi-Episcopi Trevirensis, fratris Henrici Augusti, composuit historiam Trevirorum. *Fuit* inquit, *torneamentorum à mari usque ad mare in iuventute semper quæsitivus, in quibus inter cæteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur. Iudex erat iustissimus; pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promptissimus defensator, rapto-*

rum, malefactorum, tyrannorum, regidissimus exterminator; semper illud gerens animo: Iustè iudicate filij hominum. Omnibus enim sicut affabilis & benignus: in quibus tamen seriositatem indicibilem, prudentiæ quoque & discretionis amœnitatem nullo unquam tempore deserebat. Virtutem & bonorum morum concatenationem optimâ cum temperantiâ iugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore benignissimè conformabat, omnibusque se ita socialem & tractabilem præbebat cum intermixtione, ut dixi, officij dignitatis, quod ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur: & tamen his quæ sunt mundi mundo reddendis non segniter, non minus, quæ sunt Dei, Deo noscitur reddidisse. Nam cum Domina Margareta, sorore Ducis Brabantiæ sua collaterali præelecta, ita continenter à tempore contracti matrimonij creditur vixisse, quod nunquam ad aliquam aliam adhuc post eius obitum dicitur accessisse. Capellæ quoque suæ ornamenta, missalia magni ornatus ac pretiosa, ad quæcunque perrexit loca adhuc Comes existens, suis cum somarijs circumvehere faciebat: & omni die coram se & collaterali sua, quandò aderat, suos electos per Cantores, canticis cum musicalibus, Missas & Horas canonicas, impedimento non interveniente, sed impedimento urgente, Vesperas saltem & Completorium, & hoc nullo die prætermittendo, celebrare solemniter faciebat. In Missis verò audiendis, Horisque canonicis cum die dicendis maximâ devotione pollebat. Itaque suis Sacerdotibus Capellanis, maximam dicitur devotionem præstitisse. Hactenus Henrici VII. non tam verborum elegantiâ, quam rerum excellentia æstimanda laus, non Lucili-

burgen-

burgensibus tantùm nobis, sed exteris quoque; quin & in exemplum proponenda summis Regum Cæsarumque fastigijs. Porrò Henricum veneno sublatum à Patribus Dominicanis, etsi confutatissima pridem est calumnia, addere tamen confutationi pondus egregium liceat, ut qui Yolandæ rebus conscribendis, Ordinem D. Dominici non modicè illustrasse videor, depellenda ab eodem sacro ordine tam fœda labe, hac quoque in parte honori eius atque gloriæ velificem. Cono Falkestenius Trevirorum Archi-Episcopus librum conscripsit, cui titulus *Chronicon Trevirorum.* In eo libro scribens de morte Henrici, *Dominus Thomas*, inquit, *de Septemfontibus, cui multum familiaris fuit, in cuius sinu obdormivit, dixit, eum dysenteriâ decessisse, quod verum esse creditur.* Fuit porrò gens in provincia nostra Equestris de Septem-fontibus, arcem habens gentilitij nominis, haud horæ unius itinere à MARIAE Valle, ad quam nunc redeo. Eam Beatrix Henrici VII. mater eximiè coluit. Paternam domum & filij sui Henrici Augusti natalibus Valentinianis illustrem, condendo Virginum Dominicanarum cœnobio, cui à Bellomonte nomen, unâ cum filio Henrico donavit, isque donationem Mediolani 3. Nonas Martias, anno 1311. indictione 9. regni anno 3. ratam habuit. Ei cœnobio Margarita nostra, Henrici soror, præesse iussa est, retentis tamen simul Vallis MARIAE gubernaculis. Nono post hæc anno, Christi 1320. 5. Kal. Martias Beatrix decessit.

De câ ex Ephemeridibus suprà titulum attulimus. Luciliburgensium Principum familiæ, etsi non sanguine, multis tamen alijs nominibus implexus fuit Petrus Archi-Episcopus Moguntiacensis. Natus apud nos gente equestri Aspeltiorum, seu, ut quondam loquebantur, Adaspaltiorum, quæ gens, ut cæteræ ferè nostrates ordinis equestris, arcem habebat appellatam de suo nomine, leucis à Luciliburgo duabus, quâ Remacum ad Mosellam excurritur. Fuerat Petrus Archiater Henrici 7. Imperatoris etiamnum Comitis. *Physicos* eâ ætate appellabant; nec erat dedecori viris nobilibus medicinam profiteri. Missus ab Henrico Pictavos ad Clementem V. Pontificem Maximum ut Balduino fratri suo Moguntiacenses infulas impetraret, ita Pontifici placuit, ut petitum pro alio decus, in ipsum contulerit. Offensus est eâ re summoperè Henricus. Sed ut appareret divina hic intervenisse consilia, Petrus deindè Henrico ad Imperium Romanum adipiscendum fuit præcipuus adiutor. Quid porrò MARIAE Valli Petrus contulerit, ita consignatum in Ephemeridibus.

VIII. Idus Iunij Anniversarium D. Petri Archi-Episcopi Moguntini, de quo habuimus 61. libras.

Decessit anno 1320. Prid. Non. Junij.

Triennio post hæc, anno Christi 1323. Joannes Boemiæ Rex, Henrici 7. filius, Margaritæ nostræ nepos, in cœnobio MARIAE Vallis coram adfuit, suæque (in id cœnobium propensæ voluntatis

luntatis testimonium reliquit. Nam ius Patronatus trium Parœciarum, D. Michaelis Lucilíburgi, Rurensis, & Danvillerij, cœnobio dedit, volens id bono esse atque saluti suæ, Augustissimorumque parentum, Henrici Imperatoris & Margaritæ coniugis eius, *ac etiam ob reverentiam* (lubet enim tabularum verba ponere) *& dilectionem præclaræ & religiosæ sororis Margaretæ de Lucemburg, amitæ nostræ carissimæ, vestrique præfati monasterij nunc Priorissæ, quæ unà vobiscum Deo dicata divinis laudibus insistit.* Tabulæ porrò conditæ ad Mariae Vallem, & à Rege ibidem signatæ 7. Idus Augusti.

Felicitas Henrici 7. Imperatoris sororum duarum natu minor, nupta primùm fuit Henrico de Lovanio, orto ex Ducibus Brabantiæ, liberosque ex eo suscepit Henricum, Joannem. & Beatricem. Sed mortuo coniuge annos nata tunc 22. ordini D. Dominici Bellomonti Valentinianis se dedidit anno 1328. Facta deindè est cœnobij Antistes, cedente nimirum sorore Margarita, ac tandem anno incomperto decessit, prid. Nonas Octobris, ut habent tabulæ Bellomontanæ. At Ephemerides nostræ die alio,

V. Idus Novembris obijt illustris soror Fecitas de Lucemburgo, germana serenissimi Principis Domini Henrici, quondam Imperatoris, quæ ergà conventum nostrum speciali semper afficiebatur dilectione.

Hunc fructum Margarita virtutis suæ à parentibus atque amicis retulit, cum tandem anno

1336. deceſſit, terreno fructui præmium iunctura cæleſte. Inſigne eius eſt elogium in Ephemeridibus.

XV. Kal. Martij, Anniverſarium venerabilis ac illuſtriſſimæ Dominæ ſororis Margaretæ de Lucemburgo felicis recordationis, matris noſtræ amantiſſimæ, germanæ ſereniſſimi Domini, Henrici quondam Imperatoris Romanorum, quæ vitâ præclarâ, converſatione laudabili, omnique venuſtate virtutum cunctis eminentior, totius religionis forma & exemplar exiſtens, pluſquam quadraginta annos, noſtrum monaſterium rexit providè, ſanctè, atque maternè, quam plures, tam ſeculares, quàm religioſos, ſuâ bonitate gratioſaque charitate trahendo ad ædificationis exemplum. Domum etiam noſtram atque conventum in poſſeſſionibus ædificijſque diverſis multipliciter augmentavit. Pro his & alijs multis neceſſitatibus noſtris in prompta pecunia dedit. De ſuis ad valorem bis mille librarum largiſſimè attulit, cum inenarrabilibus bonis, quæ ſigillatim exprimi nan poſſunt. Inſuper & in VVolkringen bona comparavit de ſuis pro C. & 20. libris ad æſtimationem 27. librarum annui reditus. Sicque dulcis mater glorioſè & ædificatoriè vivendo, omnibus ſuis poſteris totius religionis ac ſanctitatis relinquens exemplum, præſentis vitæ curſum feliciter in Domino conſummavit, anno Domini 1336. Poſt cuius deceſſum de ſuis extremis & alijs ad ſuam venerandam perſonam ſolemnitatibus huiuſmodi, habuimus C. & 20. libras, de quibus pro ſua tumba facienda 85. pervenerunt, reliquæ verò cedebant ad utilitatem conventus. Hac die habebit conventus ad pitantiam ſolemnem 12. libras de bonis de VVolkringen prædictis.

Quod

Quod in hoc elogio, Margarita *plusquam quadraginta annos monasterium rexisse dicitur*, id à vero alienum est, si, quod in eodem elogio habetur, obijt anno 1336. ab hoc enim anno, si retrò numeres ad annum usque 1303. quo Priorissa erat Aleyda, anni reperiuntur tantùm triginta tres, hoc est, septem minus quàm quadraginta. Neque rectius catalogus Priorissarum Mariae Vallis (de quo posteà) tempus regiminis Margaritæ definivit, annis ei assignatis triginta novem. Quos errores, fateor, promptius esse mihi deprehendere, quàm corrigere.

Tumba porrò, de quâ in eodem elogio, etiamnum exstat in *choro* Virginum, facta ex solido saxo cum statuâ Margaritæ cubante, habitu Sanctimonialis. Suprà arcum, sub quo intrà murum tumba est, legitur hæc epitaphij pars litteris nigris, & antiquis.

,,,,,,,,,,,,,,,,,,,,,, TUMULATA PRINCIPIBUS NATA PRUDENS QUOQUE MATER AMATA EXEMPLARQUE DATA VIVENDI SORTE BEATA CELICA DICATA FIDE MARGARETA VOCATA QUID DICAM PLURA FELIX FUIT HÆC.

Suprà epitaphium hoc assurgunt utrimque per arcum Parmæ gentilitiæ his notatæ insignijs.

Parmæ à Capite exurgentes.

1.

In Parmâ aureâ aquila nigra.

2.

Crux æquali latitudine undique ad oras Parmæ pertingens, rubea, metallo ignoto.

3.

Leo, rursus extrito metallo.

4.

Fasciæ tres transversales rubeæ in dextram pronæ, metallo ignoto.

5.

Parma, consita lilijs aureis, cærulea.

6.

Crux Ungarica rubra, metallo evanido.

7.

Fascia in fronte Parmæ, lata, rubea, & sub ea fasciæ ternæ strictiores rubræ, in dexteram pronæ, nullo metallo.

8.

Leo argenteus in areâ rubrâ.

9.

Leopardi tres in Parmâ russâ.

10.

In argenteâ Parmâ fasciæ tectæ vitris cæruleis.

11.

Leo linguatus ignoti metalli, in areâ cæruleâ.

12.

Leo niger in auro.

13.

Aquila nigra in auro.

14.

Deest.

15.

Deest.

16.

Deest.

Parmæ succrescentes à pedibus.

1.

Leo argenteus in Parmâ rubrâ.

2.

Leo russus, in metallo non internoscendo.

3.

Crux rubea, æquali latitudine ad oras Parmæ undique pertingens, metallo deleto.

4.

Leo rubeus, metallo extrito.

5.

Fasciȩ tres rubeȩ, in dextram pronȩ, metallo ignoto.

6.

Leo niger in auro.

7.

Parma quadripartita. In singulis quadrantibus Leo: sinister, cum alterno, aureus: dexter, cum alterno, rubeus. Metalla evanuêre.

8.

Aquila nigra in auro.

9.

Rhombi transversales, nec colore, nec metallo noto.

10.

Parma rubra, cum fascia media, metalli ignoti.

11.

Leo rubeus, in trabibus Lucilibutgensibus.

12.

Leo argenteus, metallo non cognoscendo.

13.

Deest.

14.

Deest.

15.

Deest.

16.

Deest.

Habent hîc ſtemmatum concinnatores amplam commentandi materiam; quâ eis permiſsâ unicum Balduini Trevirorum Archi-Epiſcopi, fratris Henrici 7. Imperatoris & Margaritæ noſtræ, ex Ephemeridibus MARIAE Vallis attexam elogium.

XI. Kal. Februarij Anniverſarium venerandi ac præclari Patris & Domini, Domini Baldevini Archi-Epiſcopi ſanctæ Eccleſiæ Trevirenſis, germani Sereniſſimi Principis Henrici quondam Imperatoris Romanorum, qui ſpectabili vitâ multarumque odore virtutum ceteris eminentius præpollens, Eccleſiam ſuam multis modis fructuosè tenuit, laudabiliter rexit & gloriosè. Ipſe inter cætera pietatis opera, quibus abundavit, nos humiles de ſuâ gratiâ in filias ſingulares paternè eduxit, in omnibus noſtrum monaſterium tangentibus, utpote principaliter pater pro nobis ſemper exiſtens promotor & defenſor. In præcipuis quoque feſtivitatibus per annum de ſuâ bonitate nos multoties perſonaliter viſitare, & benignè conſolari dignatus, formam, &c. Nam ab eodem adhuc vivente recepimus diverſis vicibus in eleemoſynis uſque ad ſummam 300. librarum; & pro Anniverſario ſuo in decima de Rure ſingulis annis 9. libras nobis providè aſſignavit.

Obijt Balduinus 12. Kal. Febr. anno 1353. ita Hermanno fidem, niſi fallor, abundè adſtruximus, referenti ad Yolandam, eiuſque venerationem, quidquid ad ſua uſque tempora viri magni in MARIAE Vallem ſtudij atque favoris contulerunt. Cumque his finem huic operi imponimus.

NOTA:

NOTATIONES.

IN TITULUM.



VENERABILIS. Franciscus Lahierius Lotharingus, vir in Societate nostrâ eruditus, scripsit Gallicè Menologium Virginum; & ad Nonas Maias, tradit, venerabilem Yolandam in provinciâ nostrâ eo die coli atque in ordine D. Dominici haberi Beatam. Habitavit Lahierius annis aliquot in hoc collegio rebus in Lotharingiâ turbatis; verum undè ista de Yolandâ hauserit, nescio. Ego tale nihil inveni, nec Yolandæ nomen in PP. Dominicanorum Martyrologio comparet; præterquam quod Yolanda obijt 16. Kal. non Nonis Maij. Cantipratanus quidem *beatissimam* eam appellavit, sed honoris vocabulo.

EX HERMANNO. Quis ille, cuias fuerit, ne divinando quidem possum assequi; nisi quod constat fuisse ex ordine aliquo sacro; haud dubium, quin, D. Dominici. Nomen autem eius non in fronte libri positum est, sed in processu velut intrusum, cum Yolandam narrat Salsinio cum matre reducem, & spe sacri Ordinis adipiscendi deiectam, lætitiæ se atque hilari vitæ dedentem. Ita enim ibi ad seipsum.

Nu

Nu saget bruder Hereman/
Wo lit der gude Wille dan/
Den si bi iungen dagen drug/
Da sig dat Kind bit ruden slug
Vnd da si nunne wolde sin?

Cedo, nunc, frater Hermanne,
Vbi ergò bona voluntas,
Quam gerebat ætate tenerâ,
Cum puella se virgis cederet,
Cum Sanctimonialis esse vellet?

Mos autem est scriptorum eius ævi, non præfigere nomen suum libris, sed in decursu alicubi, velut obtrudere. In Bibliothecâ Nobilis Viri Joannis Baptistæ Wilthemij, quam à parente præside amplissimam accepit, sunt libri duo rhythmis Germanis fabulam enarrantes in eo genere, quod *Romances* Hispani, Galli *des Romans*, appellant. Scriptus ille anno 1372. fabulamque continet Guigaloisij, Gavini, equitis tabulæ rotundæ, filij, auctore Wirico de Gravenberg; quod nomen post aliquot folia positum. Alter fabulam exequitur cuiusdam Wilhelmi ducis, atque in medio opere nomen edit auctoris, quod est Vlricus ab Etzenbach. Digreditur autem eo loco in laudem Bohemiæ & Wenceslai Regis, eiusque patris Ottocari, meminitque Wolframi de Etzenbach, eius, qui Hermannum Thuringiæ Landgravium cecidit.

De Yolandâ porrò antè Hermannum videnter aliqua

aliqua fuisse scripto comprehensa. Ita enim ipse in fine, **Man liset van der guden**; legitur de bonâ.

AD CAPUT. I.

DIVO LUDOVICO GALLIAE REGI SANGUINE IUNCTA. Patet id ex hoc schemate Genealogico in aversa pagina spectando, iuxta quod fuerunt in pari consanguinitatis gradu D. Ludovicus IX. Galliæ Rex & Yolanda, Ludovici Crassi, ille abnepos, hęc abneptis.

NATA SUB ANNUM 1231. Pendet hæc chronologia ab anno mortis Yolandæ. In Ephemeridibus MARIAE Vallis dicitur obiisse anno 1281. sed cum eæ Ephemerides non sint autographæ, sed scriptæ ex vetustiore codice (quod patet ex formâ litterarum ubique æquali, & tali qualium erat usus antè sesquiseculum) non est tantâ earum auctoritas, quanta est epitaphij, quod litteris seculi duodecimi desinentis, & decimi tertij nascentis, scriptum est, traditque, Yolandam obijsse, ut dixi, anno 1283. 16. Kal. Ianuarias. Hic ergò certus annus Yolandæ mortis habendus est, hocque posito fundamento, inquirendi anni vitę eius. In epitaphio vixisse dicitur annis 50. sed *circiter*; ut nihil certi hinc constitui possit. Ex Hermano, anni vitę eius fuisse videntur 52. Narrat enim quindecennem velum primò sumpsisse ad MARIAE Vallem: biennio deindè

- **Ludovicus Crassus Galliæ Rex.**
  - Philippus Rex cum Patre, sed antè eum mortuus.
  - Ludovicus Rex iunior.
    - Philippus II. Rex. Vxor Yolanda.
      - Ludovicus VIII. Rex Vxor Blāca.
        - S. Ludovicus IX. Rex. Galliç.
          - Philippus III. Rex Galliç, qui spinam coronę Christi misit Yolandæ.
  - Henricus ArchiEpiscopus Rhemensis.
  - Philippus electus Episcopus Parisiensis.
  - Petrus. Vxor Isabella de Curtiniaco.
    - Petrus Imperator Constantinopolitanus. Vxor I. Agnes Nivernensis, II. Yolanda filia Balduini eo nomine IV Comitis Hannonię.
      - Philippus ComesNamurensis. Obiit anno 1226. sine liberis.
      - Robertus Imperator Constantinopolitanus.
      - Balduinus Imperator Constantinop. eo nomine II.
      - Margarita nupta I. Rodulfo Vxillodunensi, II. Henrico Comiti Viennensi.
        - Yolanda Priorissa MARIÆ Vallis.
      - Anna Principissa Achaię, nupta Gaufrido de Villā Harduini.
      - Yolanda, nupta Andreæ Regi Hungariæ.
      - Mathilda, nupta Heriveo Comiti Nivernensi.
      - N. Filia.
    - Robertus de Curtiniaco, Magnus Franciç Buticularius.
    - Guilielmus de Curtiniaco.
    - Ioannes de Curtiniaco.
    - Alexia, nupta I. Guilelmo de Ioviniaco, II. Aimaro, Comiti Ecolismensi. III. Hugoni de Luziniaco.
    - Eustachia, nupta GuilielmoSancerano.
    - N. filia
    - Clementia
    - Constantia
    - N. filia.
  - Constantia Nupsit I. Eustachio Comiti Boloniensi, II. Raymundo Comiti Tolosæ.

deindè

deindè à matre variè agitatam, priusquam ritè velaretur, & vixisse deindè in monasterio annis 35. qui anni collecti reddunt annos 52. His subductis ab anno mortis Yolandę 1283. nata fuerit anno 1231. Cantipratanus annum unum vitę adiecisse videtur. Dum enim materias Yolandę vexationes commemorat, ait eas factas *infrà triennium*, quâ ratione nata fuerit anno 1230. In eâ incertitudine mediâ viâ incedere placuit, natamque dicere Yolandam sub annum 1231.

AD CAPUT. II.

Conradus Coloniae Archi-Episcopus, Yolandae Cognatus. Hermannus.

Der Ertzichbischof Cunrad
Van Colene / der washir mag;

Archi-Episcopus Conradus
Coloniæ, erat eius cognatus.

Cognationis huius rationem deduxi in genealogiâ comitum Viennensium C. 1. sub finem.

AD CAPUT III.

Haec Cantipratanus de Walthero. Libro 2. cap. 29. §. 29. & 30. & 39. ubi de Yolandâ. Item cap. 30. §. 31. Plura de Walthero vide infrà, in notationibus ad caput 15.

Conradus, Coloniæ Archi-Ep. cognatus meus. Apud Hermannum Yolanda hoc loco Conradum vocat Oehme / quod Germanis patruus

 est,

est, & annunculus; ut proindè Conradus fuisset, vel Henrici Yolandę patris, vel matris eius Margaritę frater, quod est falsum. Vocabulum ergò Oehme hîc posuit Hermannus more eius ęvi, quo consobrinorum liberi ipsos consobrinos, patruos & annunculos appellabunt.

INPRIMIS SOROREM. Ex Hermanno solo hęc nota; De eâdem iterùm cap. 4. sed ubique sine nomine.

AD CAPUT IV.

DESPONSA SUM. Hermannus: ich bin berraden. FASCIAS ACUPICTAS, SERTA, FIBULAS GEMMATAS. Hermannus memorat in mundo illo muliebri Yolandæ, borden / scheppelin / snuere / borgespan. Liber vetus Ms. Bibliothecæ nostræ, cui titulus *Hospes Italicus*, scriptus Italicè atque ab ipsomet auctore rhytmis Germanicis anno 1215. editus, in mundo vulgari mulierum eadem ferè recenset.

Hentschu / Spigel / vingerlin/
Forspang / schappel / blumelin/
Chyrothecæ, specula, annuli,
Fibulæ, serta, flosculi.

Dicatur de singulis nostris.

Borden. Glossæ meæ veteres, scriptæ imperatore Friderico Barbarossâ: *Fascis*, Borden. *Fascia*, Windelbant. *Aurifrigium*, Goud borde; ubi goud est aurum. Gallis hodiè *broderie*, quasi *borderie*, est opus acupictum. Itaque Borden/ verti *fascias acupictas*. *Scheppelin*. Labbæus in etymologijs

mologijs Gallicis : *chapeline ou chapelline* ; *chapelet, petit chapeau de fleurs*. Hinc verti *Serta*.

Voorgespan. Glossæ meæ veteres : *monile*; Vorspan. At Wiricus de Gravenberg in fabulâ Guigaloisij, fibulam vocat vorgespan / & ita describit in ornatu Lariæ.

Die Vrouwe drug ein vorgespan
Da en was nicht mer gesmides an
Niewan ein dorn guldin/
Damit hafte si den busem in/
Das Vorspan was ein edelstein/
Der dogh drier Varwen schein.
Das eine deil ein smaragde was/
Gruner dorkein gras.
Ein Saphir was des anderen schein;
Das dritte ein edel rubin.
Ztwene Lowen / unde ein ar.
Alsus hatte gemeistert dat
Mit worten Wrinck von Gravenberg.

Domina gerebat fibulam,
In quâ fabrile nihil,
Nisi Spina aurea.
Hâc nectebat sinum.
Fibula erat gemma una;
Sed quæ tricolor effulgebat.
Pars una erat Smaragdus,
Viridior nullo non gramine.
Sapphiri fulgor erat altera
Tertia nobilis pyropus.
Leones duo, unaque aquila.

Ita fabricatus est id opus
Verbis VViricus de Gravenberg.

Hinc **Vorgespan** verti *fibulas gemmatas*. Hodiè nos ex priscâ voce **Vorgespan** / partem retinemus, fibulamque dicimus **Spangel** / eiusque artificem **Spangeler.** Pro **gesmide** Wirici, posui *fabrile opus*. **Schmiden** enim est nobis fabricari. Hinc manavit, opinor, quod mundum muliebrem aureum, vocamus *gesmuck*. Antiquæ meæ glossæ. *Phaleræ, gesmidæ.*

In interius conclave Hermannus, *Kemenade*; nimirum à camino, qui esse solet in conclavibus; *chambre à cheminée*. Ditmarus quoque vocabulo *caminata* pro cubiculo est usus.

AD CAPUT V.

Filio maiore natu Friderico Filium tantùm Henrici & fratrem Yolandæ nuncupat Hermannus, proprio præterito nomine. Ego Fridericum dixi, quia æquum erat filium potius maiorem natu, qui erat Fridericus, quam iuniorem, qui Philippus, ei negotio intervenire. Adde, quod fratris huius moderata ad Yolandam oratio, Friderico potius convenit, quàm Philippo, acri & severo iuveni; quem etiam Hermannus postea proprio charactere à ceteris fratribus distinxit; nimirum, quod patre mortuo, Comes fuerit Viennæ, quod Friderico convenire nequit, antè patrem defuncto. Denique observandum, fratrem Yolandæ,

de quo hic queritur, dici ab Hermanno **iunge grebe** / id est *Iuniorem Comitem*, quod patre vivente antè omnes alios, quadrabat in Fridericum maiorem natu, futurum patris in Comitis dignitate successorem, si fata sivissent. At Philippum aliter infrà Hermannus designat, ut ad caput 15. dicetur; præterquam quod eum solummodo **iunckere** patre vivo appellat, hoc est, iuvenem dominum.

AD CAPUT VI.

SCHACHORUM. Hermannus, **ein Schazabel und stein** / hoc est, *Schachorum tabula & calculi*; contractè enim voce **Schazabel** est usus; quomodo & auctor Hospitis Italici suprà laudatus. Eâdem formâ contractè. **Geluckstabel** appellamus expositas sortientibus merces, quod aleâ interdum in tabulam coniectâ is ludus peragatur. Integrè vocem eam protulit Wiricus Gravenbergius.

Do gingen si tzu der kuningin.
Da wunden si der salden schin
Und schoner kurtzewile vil /
Von Schaachztabel und bond seiten spil

Adibant Reginam.
Reperiebant ibi læta,
Multaque, pulchra temporis diverticula;
In tabulis Schachorum & fidium cantu.

Est autem Schachorum ludus, qui Romanis la-

trunculorum, de quo Martialis & Seneca. Veteri enim linguâ Germanicâ, **Stach** Latrocinium significat, & *Scachator* latronem. Capitula Caroli Magni, Cap. XII. *Ego illam adsalituram, illud malum, quod* **Stach** *vocant, vel tesceiam, non faciam, & quem scio, qui nunc latro, aut Scachator est, vobis Missis Dominicis non celabo.* Item *Hospes Italicus.*

Hat in lichte der schachere
Ermordet durch sin gut.
Fortè eum latro
Occidit propter eius bona.

Et Evangelia antiqua Germanica, Latrones cum Christo cruci affixos, vocant **Schacher**; quam vocem retinuit Eckius in Marco.

Calculos cum Senecâ dixi latrunculos: & Hermannus **Steine**, id est, Lapides. Alioqui olim lignei vulgò erant latrunculi, & inter Principes Elephantini Gemmati. Wiricus:

Da lagen vor den Vrouwen fier
Wurfztabel unde kurtier /
Geworcht van elphenbeine.
Mit edelin gesteine
Spilten si / mit holtze nicht
Alseman nu Vrouwen spilen sicht.
Iacebant antè Dominas generosas
Tabulæ aleatoriæ & cursores,
Quibus elaboratis ebore
Cum gemmis
Ludebant, non ligno;
Vt nunc Dominæ ludere videntur.

Ubi

ꝛſchwoꝛcht poſitum eſt pro gewercht.
ꝝEIDA. Eſt eius mentio apud Fiſenium in
â originis Feſti Corporis Chriſti, dicitur-
bbatiſſa D. Walburgis, quod qui ad Cœ-
m Eichſtadianum pertinere volunt, longè
. Eichſtadianum quippè Divæ Walburgis
obium à primâ ſuâ origine fuit, atque et-
am eſt, Ordinis D. Benedicti. At Aleida
a Ordinis erat Ciſtercienſium, ut ex Her-
io conſtat. Videant ergò, an Cœnobium
D. Walburgis, cui Aleida præfuit, non po-
dicendum ſit illud D. Walburgis Cœno-
, de quo non uno loco Dialogorum Cæ-
s Heiſterbacenſis, dum agit de Richmundâ
gine, nominatque *Montem S. Walburgis*, attri-
ei *Abbatiſſa*. Nunc *Walburberg* locum appel-
, Brulam inter & Monaſterium Eifliæ, ſpe-
que ad collegium noſtrum Colonienſe, nullo
olius reliquo cœnobio, ſed æde ſacra operis
iqui, olim mihi coram viſa.
YOLANDÆ COGNATÆ. Mumen, ſeu amitas, vel
teras, dixit Hermannus, ſed impropriè. Ne-
e enim erant aut Henrici, aut Margaritæ, pa-
ntum Yolandæ, Sorores.
BELLACOSTA. *Schoncken* vocat Hermannus, con-
ctè, & infrà cap. X. integrè *Schonecken*. Eſt anti-
iſſimus vicus haud longè Prumia. Acceſſit de-
dè arx. De vico meminit vetus liber cenſuum
rumienſium, ſcriptus anno 993. & Cæſarius,
uondam Abbas Prumienſis, ac deindè cœno-

trunculorum, de quo Martialis & Seneca. Veteri enim linguâ Germanicâ, **Stach** Latrocinium significat, & *Scachator* latronem. Capitula Caroli Magni, Cap. XII. *Ego illam adsalituram, illud malum, quod* **Stach** *vocant, vel tesceiam, non faciam, & quem scio, qui nunc latro, aut Scachator est, vobis Missis Dominicis non celabo.* Item *Hospes Italicus.*

Hat in lichte der schachere
Ermordet durch sin gut.
Fortè eum latro
Occidit propter eius bona.

Et Evangelia antiqua Germanica, Latrones cum Christo cruci affixos, vocant **Schacher**; quam vocem retinuit Eckius in Marco.

Calculos cum Senecâ dixi latrunculos: & Hermannus **Steine**, id est, Lapides. Alioqui olim lignei vulgò erant latrunculi, & inter Principes Elephantini Gemmati. Wiricus:

Da lagen vor den Vrouwen fier
Wurfzabel unde kurtier /
Geworcht van elphenbeins.
Mit edelin gesteine
Spilten si / mit holtze nicht
Alseman nu Vrouwen spilen sicht.
Iacebant antè Dominas generosas
Tabulæ aleatoriæ & cursores,
Quibus elaboratis ebore
Cum gemmis
Ludebant, non ligno;
Vt nunc Dominæ ludere videntur.

Ubi **gewoꝛcht** positum est pro **gewercht**.

Aleida. Est eius mentio apud Fisenium in historiâ originis Festi Corporis Christi, diciturque Abbatissa D. Walburgis, quod qui ad Cœnobium Eichstadianum pertinere volunt, longè errant. Eichstadianum quippè Divæ Walburgis Cœnobium à primâ suâ origine fuit, atque etiamnum est, Ordinis D. Benedicti. At Aleida nostra Ordinis erat Cisterciensium, ut ex Hermanno constat. Videant ergò, an Cœnobium illud D. Walburgis, cui Aleida præfuit, non potius dicendum sit illud D. Walburgis Cœnobium, de quo non uno loco Dialogorum Cæsarius Heisterbacensis, dum agit de Richmundâ Virgine, nominatque *Montem S. Walburgis*, attributa ei *Abbatissa*. Nunc *Walburberg* locum appellant, Brulam inter & Monasterium Eifliæ, spectatque ad collegium nostrum Coloniense, nullo amplius reliquo cœnobio, sed æde sacra operis antiqui, olim mihi coram visa.

Yolandæ cognatæ. **Mumen**, seu amitas, vel terteras, dixit Hermannus, sed impropriè. Neque enim erant aut Henrici, aut Margaritæ, parentum Yolandæ, Sorores.

Bellacosta. *Schoncken* vocat Hermannus, contractè, & infrà cap. X. integrè *Schonecken*. Est antiquissimus vicus haud longè Prumia. Accessit deindè arx. De vico meminit vetus liber censuum Prumiensium, scriptus anno 993. & Cæsarius, quondam Abbas Prumiensis, ac deindè cœno-

bita Heisterbacensis, eius libri interpres, *Schonouhc*, *Sconhoye*, *Sconoie*; nunc *Schoneck*. V. A. Eustachius Wilthemius, in collectione familiarum equestrium Luciliburgensium, ita de arcis origine. *Domini in Schoneck à Comitibus Viennensibus descendunt, castrumque Schoneck ædificarunt in territorio Prumiensi.* Inter Prumienses enim fundos Bellacosta, seu *Schoneck*, iam ab anno 993. censebatur, ut dictum. Tempus porrò arcis exstructæ, non invenio. Cæsarius Heisterbacensis Auctor ille dialogorum, ita scribit. *Hæredes D. Conradi de Bopardem, qui morabatur in novo Castro, quod appellatur Sconecche.* Credibile est, non multò antè Cæsarium, qui scripsit anno 1222. ædificatam eam arcem, cum ei dicta sit nova.

Gentem porrò Bellacostanam; quod aiebat A. V. Præses Wilthemius, ortam à Comitibus Viennensibus, probant Bellacostana insignia, eadem, quæ olim Comitum Viennensium ante Godefridum Henrici nepotem, hoc est, Parma argentea, cum margine rubro.

Ad nomen Bellacostæ quod attinet; passim in vetustis tabulis Gallicis id ponitur, pro *Schoneck*; reddita nempe voce velut Gallico-Latina. *Schon* enim, nobis est bella, seu pulchra, *eck* autem, angulus, vel locus remotus, & ad latus situs. Quod autem ad latus est, Gallis est *du costé*. Undè illorum *cotoier*, *se tenir à costier*.

A Viennensibus Comitibus Bellacosta deindè pervenit ad nostros Luciliburgenses, & cum Bel-

lacosta

Iacosta ius Advocatiæ Supremæ Cœnobij Prumiensis, hodiè oppignoratum Archi-Episcopis Trevirensibus.

COGNATUM, COGNATAS Pro cognatis usus est voce impropria **Mumen** Hermannus, at pro cognato, propria. Ita enim inducit Hymanam Yolandæ loquentem.

Van Kolne Biscof Cunrad
Der unser zweier bruder ist/
Des megen du vil nae bist.

Coloniæ Episcopus Conradus
Nostrum ambarum frater.
Cui tu cognata proxima.

Mege enim, cognata est. Mox iterum Hermannus **mum** impropriè dixit de Hymana. Adeò receptus erat illo ævo is modus loquendi.

PER HÆC TEMPORA. Condidit testamentum Ermesindis anno 1246. nata annos 60.

AD CAPUT VII.

TABULIS PUBLICIS. Ecce illas.

Hermesindis Dei gratiâ Comitissa de Lucelburg, omnibus præsens scriptum intuentibus notum facimus, quod nos allodium Theodorici dapiferi nostri, quod idem Theodoricus emit, & Ecclesiæ Sanctimonialium de Valle Sanctæ M A R I Æ, *cùm consensu Elysæ uxoris suæ, liberaliter contulit, & protenditur à Semitâ, quæ de Schindelce transit in* Calembach, *usque ad rivum, qui dicitur Vischbach ex unâ parte, & usque ad rivum, qui dicitur Merlebach ex alterâ parte, eidem Ecclesiæ confirmamus, iuri*

nostro, si quod in præfatis bonis habemus, vel habere potuimus, pro anima nostræ remedio renuntiando, & tàm hæc bona, quàm alia, quæ prædicta Ecclesia in præsenti possidet, & in posterum favente Deo potuerit adipisci, in nostram recipimus protectionem. Ne autem hæc nostræ pietatis ordinatio ab aliquo in posterum impugnari valeat, vel infringi, præsens scriptum indè confectum, de consensu filij nostri Henrici Comitis, Ecclesiæ tradidimus supradictæ, sigilli nostri, & eiusdem filij nostri munimine roboratum. Datum anno Domini 1237. In Cathedrâ Petri.

ACCESSERE ALIAE TABULAE THEODORICI TREV. ARCHI-EPISCOPI. Has tabulas, quoniam primas Cœnobij MARIAE Vallis res compendio complectuntur, operæ pretium erit hîc ponere.

Theodoricus Dei gratiâ Trevirorum Archi-Episcopus, dilectis in Christo filiabus..... Priorissæ & Conventui de Valle S. MARIÆ Religiosam vitam Professis. In perpetuum Religiosam vitam eligentibus pastorale convenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eas à proposito revocet, aut robur sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilectæ in Christo filiæ, vestris iustis supplicationibus clementer annuentes, Monasterium vestrum, & omnes possessiones, quas idem Monasterium in præsenti iustè ac canonicè possidet, vel in futurum legatione nobilium, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, sub B. Petri, & nostrâ protectione suscipimus, & vobis, & his, quæ vobis successerint, præsentis scripti privilegio communimus, in quibus hæc proprijs vocabulis duximus exprimenda. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus

nibus pertinentijs suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usagijs & pascuis, in busco & plano, in aquis & molendinis, in vijs & semitis, & omnibus alijs, libertatibus suis, specialiter verò allodium, quod Theodoricus fundator vester ab Ecclesiâ S. Maximini emit, & de consensu Elisæ uxoris suæ, & omnium hæredum suorum vobis donavit. Et protenditur à semitâ quæ de Schindelce transit in Kalenbach, usque ad Rivum, qui dicitur Vischbach ex una parte, & usque ad rivum, qui dicitur Merlebach ex altera parte. Item ius Patronatus Ecclesiæ de Teutingen, quod vobis contulerunt Hadewidis Nobilis matrona de Schindelce, cum consensu Gerardi, Aubertini, Ylianæ, Gerdrudis, Mechtildis, filiorum & filiarum, & omnium hæredum eius, & Domina Aleydis, soror prædictæ Hadewidis, de consensu Gobolenis filij & Hadewidis filiæ, & aliorum hæredum eius, & Elisabeth Domina de Holvels, de consensu Thomæ, mariti sui, & Ludolfi & Ysenbrandi, Wilhelmi & Gobolonis, & aliorum filiorum & filiarum eius. Et Domina Margareta de Mambre, de consensu Thilonis, Wilhelmi, Iacobi filiorum, & omnium hæredum eius. Et Richardus & Cono fratres, milites, & omnes, qui in prædicto patronatu habere iuris aliquid videbantur, sicut nobis per eorum omnium litteras patuit manifestè. Item ius patronatus Ecclesiarum de Beckirgen & de Vrilingen, quod vobis contulerunt Theodoricus & Albericus, filij Theodorici Fundatoris vestri, de consensu Aleydis & Elisabeth uxorum suarum, & Dominæ Agnetis matris ipsarum, & omnium dominorum, à quibus idem patronatus mediatè, sive immediatè descendit, sicut per ipsorum litteras nobis patebat. Item

ius patronatus Ecclesiæ de Rockingen, quod vobis liberaliter contulerunt Alardus de Kons, Thomas de Lucemburch, Herbrandus de Ambele, milites, Henricus de Lucemburch, filius Syburgis, Nicolaus & Waltherus filij prædicti Thomæ, & Abbas & Conventus S. MARIÆ in Lucemburch. Huius autem Abbatis & Conventus super prædictâ collatione litteras, oculis nostris vidimus evidenter, sicut & aliorum omnium vidimus, qui in prædicto patronatu habere iuris aliquid videbantur. Item decimam, quam vobis in Colpach contulit Theodericus Fundator vester, de consensu Elisæ uxoris suæ, & omnium hæredum eius, pro cuius commutatione retinuit bona de Beringen, quæ fuerunt Gerdrudis filiæ Domini Herbrandi de Rupe. Item decimam, quam vobis in Parochiâ Crucis contulit Wilhelmus miles de Heingen de allodio suo, quantâ videlicet parte totius curtis de Wolckringen. Item decimam, quam vobis de allodio suo contulerunt viri Nobiles Wilhelmus, & Ioannes filius eius, milites de Ansenburch. Item decimam, quam vobis contulerunt Henricus miles, Dominus de Berge, & Domina Aleydis uxor eius de allodio suo in Rennenburch. Item decimas, quas vobis contulit Theod. miles, Advocatus de Aspelt, de consensu omnium, quorum consensus erat requirendus. Prohibemus insuper, ut nulli personæ, post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit sine Priorissæ suæ licentiâ de eodem loco discedere: discedentem verò absque communi litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Prohibemus etiam, ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capi-

tuli,

tuli, vel maioris vel sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter, quam dictum est, factæ fuerint, eas censemus irritas & inanes. Prohibemus nihilominus districtè omnibus Sacerdotibus nostræ Diœcesis, ut à nullo hominum, qui apud vos Ecclesiasticam elegerit sepulturam, aliquid temporalium pro extremâ Unctione, vel Anniversarijs, vel tricenario Missarum, vel quacunque aliâ re, quam subditis suis ex suo officio tenentur exhibere, nec ante exhibitionem, nec post, nisi aliquid eis pietatis intuitu donatum fuerit, promissum audeat extorquere. Cum verò aliquis decedens apud vos elegerit sepulturam, mox post eius decessum adducatur, nisi in loco, ubi decesserit, fuerit Parochialis Ecclesia, vel Capella, ubi Missa Defunctorum prius pro eo valeat celebrari. Sacerdotibus verò vestri Ordinis Professis, & canonicè in Ecclesiâ vestrâ conversantibus, liceat confessiones audire, pœnitentias iniungere, & cætera Sacramenta conferre omnibus, qui in Ecclesiâ vestrâ habitum assumpserint religionis, vel qui ad agendam peccatorum suorum pœnitentiam iuxtà Ecclesiam vestram declinaverint ad manendum: Sicut etiam eisdem Sacerdotibus, coniugatos, si qui ad vestram religionem transire voluerint, ne eos propter divortium matrimonij discurrere oporteat, recipere vice nostrâ, dum tamen provideant, quod si unum coniugum ad vos transire contigerit, & alter in seculo remanserit, remanenti, & ætatis provectus, & honesti habitus, & famæ meritum suffragetur. Porrò si aliquis Archi-Diaconorum vel Officialium nostrorum sine nostro speciali mandato in Monasterium vestrum, vel personas ini bi constitutas, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam

tentiam promulgaverint, sive etiam mercenarios vestros, pro eo, quod vobis aliqua beneficia vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, quibus vos laboratis, vel alij feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam irritam censemus & inanem. Prætereà, cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis in vestro Monasterio, exclusis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Ecclesiæ vestræ quoque paternâ inposterum sollicitudine providentes, prohibemus, ut infrà clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere seu violentiam audeat exercere. Omnibus verò, qui Ecclesiæ vestræ manum porrexerint pietatis, vel infrà octavas, sive in ipsâ octavâ Paschæ, vel Pentecostes, vel in festivitatibus S. Crucis, S. Dominici Confessoris, Dedicationis Ecclesiæ vestræ, & sanctæ Dei Genetricis MARIÆ, ob reverentiam eiusdem gloriosæ Virginis & vestram Ecclesiam confluxerint, eandem, quam Dominus, Papa Priorissæ & Conventui Ordinis S. Mariæ Magdalenæ de Lucelenburgh largitus est Indulgentiam, & unam Carenam, misericorditer impertimur. Omnes verò, qui huic nostræ ordinationi contrariè, & vestram libertatem præsumpserint infringere, omnipotentis indignationem, & nostram excommunicationis sententiam se noverint incurrisse. Datum Anno Domini M.CC. trigesimo octavo. Id. Iulij.

AD CAPUT. IX.

HÆC CÆSARIUS. Vide eundem de alio Theodorico

doirco de Rulandt in Palestinâ piè mortuo, lib. 11. cap. 24. SONIPES Hermannus **Zelderpert**; nos **Zelter**.

SERTO COMITIS. Comites horum temporum gestâsse serta, vel hic locus evincit. Tunc autem maximè gerebant, cum celebri aut solenni cultu publicè apparebant: Erant ea serta, quasi diademata, aut ductæ ex auro circulares Laminæ, quales priscorum Græciæ Regum. Comites porrò nostri cuiusmodi hoc ævo diademata gestarent, cernere est in vetusto eorum insigni, quod antè annos ampliùs centum ex gente Brandenburgicâ vir nobilis in adversaria retulit, exceptum ex veteri aliquo monimento, hâc formâ:

DVCH DE LENBOVR CONTE DE LVSABOVR





Nec

Nec dubium, quin hæc insignia Luciliburgensia, sint Henrici Comitis nostri, illius ipsius, de cuius serto agimus, cognomento Blondelli, aut certè filij eius, in prælio ad Buruncum cæsi. Nam antè Blondellum nullus comitum nostrorum parmam aut scutum insigni notatum gessit, ut ex omnibus eorum ceris ad tabulas publicas appensis constat.

Et Blondellus è nostris comitibus primus Leonem Limburgicum, post patrem Walramum Limburgi Ducem, trabibus substratis in parmâ habuit, ut vulgò notum. Undè in adversarijs Brandenburgicis rectè iunguntur Luciliburgensibus insignia Limburgica. Blondelli nepos, Henricus, posteà Romanorum Imperator, materna Avesnensia insignia Luciliburgensibus in ceris addidit, quod & servavêre eius posteri.

Alba capitis velamina. Pro albo Hermannus, habet **blad dikke wis**: pro capitis velaminibus, **koverschidt** / Galli *couverchef.*

Thorax. Hermannus **Kursat.** Galli, *corset.*

Dies non omninò quatuordecim Herm. **E Virzin naht** / antè quatuordecim noctes; more veteri Gallorum. *Galli veteres per noctes tempus metiebantur.* Cæsar de bello, Lib. 6.

Duobus totis annis et amplius. Ita Hermannus: Cantipratanus, *infrà triennium*; concorditer.

AD

AD CAPUT X.

VISUM BELLACOSTAE COMMORARI. Clarum, ecce, fuisse Viennensium Comitum iam hoc tempore Bellacostam.

COGNATÆ SUÆ. Hermannus, **Mumen**, amitæ, impropriè, ut solet, & quidem hoc capite aliquoties.

GENUS ERAT SALTATIONIS QUO IN ORBEM CIRCUMAGI SOLEBANT. Hermannus.

Den Virallep si nit en trad.

Viralleyam non saltabat.

Gallicum esse apparet **Virallep** / compositum ex *Virer* gyrare, & *aller*, ire. A Gallis ergò, quibus sumus finitimi, tractum saltationis huius nomen. Et alioqui multi in Hermanno Gallicismi. En aliquos.

Remanant, reliquum. **Tamburen** / tympana, *Tambours*. *Provende*, præbenda. *Instin*, pugna, Gall. *ioute*. **Otthesune** / occasio, Gall. *occasion*. *Feste machen*, Gall. *faire feste*. **Truandien** / Gall. *truandise*. **In goude poincte** / Gall. *en bon point*.

DECERNUNT EVOCARE COLONIA ALBERTUM. Bis docuit Albertus Magnus Coloniæ. Primùm, antequã esset creatus magister: iterùm postquam Parisijs dignitate magisterij exornatus est, ut observat Petrus de Prussiâ rerum eius gestarum collector. Et hâc alterâ vice discipulum habuit D. Thomam, missum ad eum Coloniam anno 1245. ut docet ad huius acta Henschenius. Hermannus hoc loco Albertum vocat **Lesenmeister** / Magistrum Lectorem.

AD CAPUT XI.

COMMUNEM NOSTRUM SANGUINEM. In Hermanno est.

Das ich dir sippe si.

Quod tibi sim cognata.

Hæc Hymana ad Henricum Yolandæ patrem. Mox tamen Henricus inducitur Hymanam compellans amitam, **mume**; planè impropriè, cùm essent Hymana & Henricus Sororis & Fratris liberi, seu cognati germani. Mihi videtur (ut hoc semel moneam) eius ætatis homines vocabulo **Oehme/** id est avunculi vel patrui, & **mume/** hoc est, amitæ seu materteræ, linguâ patriâ loquentes, compellâsse cognatos, cum aut reverentia, aut gradus nascendi id quodammodò exigeret. Sic Yolanda Hymanam eiusquè Sorores **mumen** vocat, quod uno gradu se anteirent, Henricus autem eandem Hymanam gradu sibi parem **mume/** honoris & reverentiæ causâ, quippè Abbatissam, nuncupavit. Quin adeò vulgò iam nostri populares illum morem habent, ut famuli heros, **Oehmen /** Avunculos seu Patruos, famulæ verò heras, **mumen/** amitas, seu materteras, honoris causâ appellent; quæ eadem reverentia inter Iuvenes atque senes intercedit.

VICARIUM TE SIBI LEGIT. Hermannus disertè:

Wan ug des ordens Meister hat
Gelascen wol in siner stat.

Cum te ordinis Magister
Suo loco relinquerit.

Non

Non tamen alibi tradi puto vicariam hanc Alberti Ordinis Magistri potestatem. Fortè ad id tantùm hæc illi potestas data, ut in ordinem, quos idoneos iudicaret, susciperet.

AD CAPUT XII.

Yolandæ Sanguine iuncta. Hermannus hanc D. Thomæ Antistitam bis **mume** vocat, hoc est, ut dixi, *Yolandæ sanguine iunctam*. Ceterùm illa Antistes non fuerit Elisabetha de Dunâ. Cùm enim esset soror Conradi Hochstadani, Coloniensis Archi-Episcopi, fuisse quoque debuit ex gente non Dunensi, sed Hochstadanâ vel Durassiâ, siquidem Soror tantùm Conradi fuit uterina, quod incompertum. Credibilius fuisse Luciam, quæ Elisabethæ successit, & ad annum usque 1294. supervixit, ut ex catalogo Abbatissarum D. Thomæ, à Christophoro Browero ex antiquis monumentis in suâ metropoli Trevirensi collecto, me monuit noster Masenius.

AD CAPUT XIII.

Muliebri religione tua. Herman. **Beggardien.**

Ancillari pene habitu. Id disertè Hermannus, sed addit.

Einer beginen ging si glich.
Vt begina se vestiebat.

AD CAPUT XIV.

Forte per æstatem. Fuit ea æstas anni 1246. quia deindè Pascha unum intercessit, priusquam Yolanda anno 1248. Cœnobium ritè ingressa est, ut dicam ad caput 16.

AD CAPUT XV.

Cui deinde cessit Comitivae dignitas. Non aliter hunc Yolandæ fratrem designat Hermannus, nomine proprio omisso; sed nos supplevimus, & Philippum posuimus. Neque enim alius, fratrum Yolandæ Comititis Viennensis titulum gessit, & in posteros propagavit, quam Philippus. Eum autem Yolanda nominat **Junckere** / id est, Domicellum, quod reverà tum esset iunior, & natu minor, quàm Fridericus. Obiit porrò Philippus, quem Hermannus nuncupavit **Junge grebe** / id est, iuniorem Comitem, ut suprà monui, ann. 1272.

Fridericus et Henricus, non Philippus, ut ego planè censeo. Absurdum enim est credere, Philippum, Yolandæ tam infestum, & recentem eius reprehensorem, eam solari voluisse.

Argentoratum, aut ad aliud eius generis Coenobium hinc ablegate. Nondum hoc tempore Virgines Dominicanæ sedem Argentorati fixerant. Ex hoc loco tamen effici videtur; iam nunc de Cœnobio eis Virginibus ibi condendo agitatum. Et mirum, nisi curante aut interveniente Walthero Meisenburgico, summo illo Yolandæ patrono; præ-

præſertim cum probabile ſit, Waltherum Argentoratenſis cœnobij fuiſſe Priorem, quem pluribus locis munere eo functum, teſtis eſt Cantipratanus. Et Humbertus illorum temporum ſcriptor, tradit in vitis PP. Prædicatorum, Priori Argentoratenſi tunc fuiſſe nomen Gualtero, quâ formâ Itali & Galli nomen Waltheri efferebant. Locus Humberti eſt Capite XXVI. ubi de Walthero ceu viro ſancto, præclara multa & admiranda, nec præterita mentione Monaſterij Virginum Dominicanarum Argentoratenſium. De origine porrò Cœnobiorum Prædicatorij Ordinis eius Civitatis, in Chronicis meis duobus Argentoratenſibus Germanica manu exaratis, perductiſque, altero ad annum 1550, altero ad annum 1555, ita traditur. Veniſſe Prædicatores Argentoratum anno 1224. ſedemque fixiſſe ad Divæ Eliſabethæ extrà urbis mœnia. Migrantibus eis deindè in Civitatem, Virgines anno 1258. ad D. Eliſabethæ ſucceſſiſſe.

AD CAPUT XVI.

Fuit ut in Paschate, quod æſtatem ſuperioris anni, de quo capite præcedenti, ſecutum eſt, & Annum 1248. anteceſſit.

Sanctimonialem agere. Hermannus: **Begine ſin:** *Beginam eſſe.*

AD CAPUT XVII.

PARTHENONEM ILLUM CONDIDERAT. Extant eâ de re tabulæ, quas opere pretium erit hic publico dare.

In nomine S. & individuæ Trinitatis. Ego Gerardus, divinâ favente gratiâ & misericordiâ, Sanctæ Prumiensis Ecclesiæ humilis minister, universis Christi-fidelibus, tàm futuris, quàm præsentibus, salutem quæ est in Christo I E S U. *Quod ad honorem Dei, & ad utilitatem Deo servientium piè à nobis & rationabiliter factum est, memoriæ litterarum commendare dignum duximus, quatenùs per hoc & res gesta necessariæ sibi firmitatis robur in præsenti obtineat, & omnis calumniandi occasio in futuro conquiescat. Cùm enim certum sit, brevem esse & momentaneum præsentis vitæ statum, quandoquidem non habemus hîc manentem Civitatem, competit nobis, operibus bonis vigilanter insudare, ut ad cælestem patriam & civitatem æternaliter manentem, pervenire valeamus. Placuit itaque nostræ discretioni, Deo servientes, cujuscunque sint Ordinis, in caritate non fictâ diligere, & in necessitate rerum temporalium, in quantùm possumus, Domino auxiliante sustentare. Inde est, quod quandam nobilem mulierem, lineâ consanguinitatis nobis proximam, habitu, voto, & conversatione honestam monialem, Sophiam nomine, Abbatissam dictam & consecratam, in partes nostras cum paucis sororibus eidem subditis venientem, benignè suscepimus, quæ relictis cognatis & amicis, terraque nationis suæ, in terrâ sibi suisque aliquantum alienâ, in pace & quiete omnibus diebus vitæ suæ, Deo servire*

servire devotissimè desiderans, nostræ nostrumque amicorum providentiæ, tuitioni, consilio atque auxilio humiliter se supposuit: Nos verò tam devotum mentis eius considerantes desiderium, & immutabile in sexu fragili propositum admirantes, situm voluntati eius satis congruum iuxtà capellam cuiusdam curiæ, quæ inferior Prumia nuncupatur, & eandem capellam nostram cum appendicijs ex integro, & beneficium atque allodium cuiusdam hominis nostri, ab hæredibus legitimis in manus nostras voluntariè resignatum, consilio fidelium nostrorum, ei perpetualiter donavimus. Ipsa verò tres virgines valdè parvas, iam dicti beneficij & allodij hæredes, solitâ pietate sibi adiunxit, quas maternæ dilectionis affectu sub regulari disciplinâ sui ordinis, ad serviendum Deo erudire studiosè curavit: capellam quoque, in quotidiano Dei servitio diu neglectam, venerabiliter reformavit. Nos igitur bonis eiusdem ancillæ Christi principijs congaudentes, cum prædicto loco duas matres Ecclesias, videlicet Merriche & Rumersheim, cum filiabus earum, præfatæ Abbatissæ & his quæ post ipsam futuræ sunt, perpetuo iure possidendas tradidimus, salvo per omnia & intacto iure, quod ad prebendam Prumiensium Monachorum ex antiquâ constitutione pertinere cognoscitur, simulque servitio, quod Abbati de utraque Ecclesia debetur. De cetero, Abbatissa, quidquid ad commoditatem suam inde ordinare poterit, suis & Cœnobij sui usibus accrescet. Nihilominùs, arbusta, quę sunt in colle qui dicitur Camervorst, ei concessimus, ita ut sex denarios indè annuatim solvat. Locum quoque molendino construendo idoneum ei donavimus, quod cum ędificatum fuerit, quinque maldros siliginis

ginis exindè per annos singulos Abbati reddat. De cetero soror mea Adheleidis Comitissa de Mulbach, venerabilis Vidua, de allodio, quod à proavo, avo, & patre legitimè possederat, partem unam, videlicet villulam quæ Hoverode appellatur, cum omnibus appendicijs, mancipijs, agris, pratis & silvis, exceptis inbeneficiatis, pro salute animæ suæ suique mariti & natorum, omniumque successorum suorum, ad serviendum Deo gloriosæque Virgini MARIÆ & Sanctis Martyribus Gordiano & Epimacho, in perpetuum devotissimè loco eidem donavit, & me successoresque meos sanctæ Prumiensis Ecclesiæ Abbates, Advocatos & defensores auctoritate & gratiâ omnipotentis Dei solemniter instituit. Prætereà de decimâ in Nunkirchen quatuor modios tritici, sex modios siliginis, viginti modios avenæ, monialibus in eadem capella Domino servientibus, singulis annis antè diem Natalis Domini IESU Christi, sine omni impedimento persolvi, firmiter & multum devotè instituit. Nos igitur cum prædictâ Comitissâ & pluribus honestis viris antè altare supradictorum martyrum venientes, sub stolâ anathematis confirmavimus, quod nulli unquam hominum hæc immutare vel infringere liceat, sed rata & inconcussa in perpetuum permaneant. Si quis autem hanc nostræ institutionis confirmationem violare, mutare, seu infringere præsumpserit vel attentaverit, perpetuò anathema sit, iramque & indignationem Beatissimæ Virginis MARIÆ incurrat; & inevitabiliter filij eius Domini nostri IESU Christi vindictam æternaliter sentiat, nisi humiliter & tempestivè resipiscat. Ex multis assistentibus quorundam nomina in testimonium conscribi fecimus. Gerardus

Eccle-

Ecclesiæ S. Salvatoris Decanus, Theodoricus Scholasticus, Bertramus Custos, & plures Ecclesiæ Ministeriales. Hec acta sunt & sigillo S. Salvatoris, nostro quoque, & Comitissę, insignita, anno Dominicę Incarnationis 1189. Indictione septimâ, epactâ duodecimâ, regnante Domino Henrico gloriosi Imperatoris Frederici filio feliciter.

Sepulta deinde est Adelheidis illa Mulbachia in æde Niderprumiensi, ut filia eius Alveradis memorat in tabulis anni 1207. teste adscripto eodem Gerardo Abbate avunculo suo.

AD CAPUT XX.

Annus erat 1248. Cùm enim Yolanda obierit anno 1283. & fuerit annis 35. Sanctimonialis, ut hoc capite auctor est Hermannus, sequitur, ut anno 1248. Cœnobium ingressa sit.

FINIS.



Godefridus. Gerardus. Friderecus. Sigifridus. Godefridus *Comites Viennenses ignotæ generationis.*

N.

- Fridericus.
- Mathilda nupta 1. Lothario Comiti de Hochstad. 2. Henrico Durassio.

- Henricus Vxor Margarita.
- N filius.
- N. filius.
- *Ex 1. marito.* Lotharius Comes de Hochstad.
- Conradus Archi-Ep. Coloniensis.
- NN. Alij liberi.
- *Ex 2. Marito.* Hymana Abbatissa Salsiniensis.
- *Ex 1. an 2. marito. dubium* Aleida Abbatissa S. Walburgis
- N. Begina Domina de Hengenbach.
- N. Abbatissa ad D. Thomæ.

- Fridericus Vxor N. filia Comitis Salmensis, postea Abbatissa Ordinis Cister.
- Philippus Vxor. Maria de Perwiciaco.
- Henricus Episcopus Traiectensis.
- Petrus, ex Præposito S. Martini Leodij, Dominicanus.
- YOLANDA Priorissa in MARIAE Valle.
- N. filia.

- Henricus obijt iuvenis.
- Godefridus Vxor 1. Aleida ab Aldenardâ. 2. Lutgarda de Ligny.
- Philippus Vxor Sophia de Scornaco.
- Margarita. Nupsit Arnoldo Comiti Lossensi.

- *Ex 1. Vx.* Philippus Vxor Aleidis Arnsbergica.
- Godefridus Vxor Maria Flandra.
- Henricus Vxor, Margarita Falcomontia.
- *Ex 2. Vx.* Ludovicus Canonicus Leodiensis Præpositus Monasteriensis.
- Ioannes Canonicus S. Lamberti Leodij.
- Lutgarda Nupta 1. Warnero Daulensi. 2. Ioanni Sombreffæ Dom.

- Maria nupsit Simoni de Spanheim.
- Aleida nupsit Othoni, Nassovio.

GE-

GENEALOGIA HISTORICA.

Veterum Comitum Viennensium in Arduennâ.

CAPUT I.

Godefridus, Gerardus, Fridericus, Sigifridus, Godefridus & Fridericus.

Godefridus.



Uit Decanus Cœnobij Stabulensis. De eo Chronicon Magnum Belgicum ex Chronicis Episcoporum Leodiensium: *Anno Domini* 986. *Godefridus, Comitis Viennæ filius & Ecclesiæ Stabulensis Decanus, adduxit feretrum S. Remacli Leodium, occasione cuius duæ Ecclesiæ Parochiales S. Remacli Leodij fuerunt consecratæ.* Fusius ista Filenius.

Gerardus.

Subscribit tabulis donationis fundi Geichlingani, factæ Esternacensi Cœnobio, anno 1096. Titulo Comitis de Viennâ.

FRIDERICUS.

Forum S. Petri, Vicus Limburgum inter & Traiectum Mosæ, memorabilis est Conventu Ludovicorum, Ludovici Pij Imperatoris nepotum, ibi anno 878 habito. In actis D. Huberti Fura appellatur; vulgò *Foron*. Huius loci Parœciam Conradus Comes Luciliburgensis, condens Cœnobium Munsteriense, novellæ domui dedit. Patris deindè donum Guilielmus filius probandum curavit ab Alberone Episcopo Leodiensi, in Conventu Principum ad Forum S. Petri convocato, anno 1124. Tabulas probatorias inter alios signavit *Comes Fridericus de Vienna.*

Albero Trevirorum Archi-Episcopus à Conrado III. Cæsare cœnobium D. Maximini impetraverat. Henricus Comes Luciliburgensis & Namurensis, cognomento Cæcus, erat avito iure eius cœnobij Advocatus seu protector. Is conflato exercitu, ferente etiam opem Balduino Hannone, suæ tutelæ cœnobium vindicare constituit. Iuvat ista narrantem audire Baldricum eorum temporum scriptorem. *Comes*, inquit, *in Principio huius discordiæ, ex improviso, antequam Domino suo fidelitatem condixisset, cum mille quingentis militibus Trevirensi appropinquavit Civitati. Et Trevirini non erant præmuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, & longâ pace bello desueti; & ipse Archi-Episcopus aberat, in curiâ Regis existens. Potuissetq; civitatem tum multum*

tum gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed Comes Fridericus de Viennâ tum fortè fortuitò erat in Civitate, & occurrens Comiti Namurensi, multis suasionibus eum redire fecit, monstrans magnam fore ipsi & perpetuam infamiam, si quid tale contrà Dominum suum committeret, antequam Domino suo renunciasset: præsertim contrà Maiestatem Regiam id fore, si Archi-Episcopo, ex mandato Regis in curiâ commemoranti, malum aliquod inferret. Hucusque Baldricus. Browero placuit, facta hæc esse anno 1139.

Cùm deindè Albero Richardo Sprinckirsbacensi Abbati Kemetam Parœciam Treviris in Synodo donaret, tabulas ibi donationis inter alios anno 1142 signavit idem *Fridericus Viennæ Comes*. Sed in posterum Fridericus Alberonem ex amico infestum habuit, anno, ut visum Browero, 1147. Rem narrat Baldricus. *Arram quoque castrum Fridericus de Viennâ, cum custos unius turris ab Archi-Episcopo esset constitutus, totam sibi usurpaverat, & rapinas multas in flumine Mosellæ exercebat. Quod Archi-Episcopus iterùm recuperans, Comitem Fridericum indè eiecit.*

SIGIFRIDUS.

An Friderici filius, an frater, incompertum. De eo ita in priscis Trevirorum Annalibus. *Idem Comes* Henricus Luciliburgensis & Namurensis, *& Viennæ Comes Sifridus in hoc conspiraverunt, quod uterque Castellum unum in Episcopatu Trevirorum ædificaret,*

caret, unde ille pro Manderscheidt, iste pro Arra Episcopatum fatigeret. Hanc interim conspirationem Hillinus Trevirorum Archi-Episcopus, Alberonis successor, *vir prudens & providus tali modo disposuit, quod Comes Namurensis Matheram se vivente teneret, & post ad Episcopatum rediret.* Browerus hæc anno 1153 attribuit.

GODEFRIDUS.

Neque de Godefrido, cuius filius fraterve fuerit, quidquam iuvenio. Henricus VI. Imperator, Ioanne Archi-Episcopo Trevirorum agente, Godefridum Esternacensem Abbatem gradu moverat. Sed eum deindè tabulis Augustalibus restituit, testibus Principibus viris, inter quos *Godefridus Viennensis.* Browerus factum ait anno 1192. ex tabulis ut arbitror.

FRIDERICUS.

Multa deindè & constans mentio est in veteribus monimentis Friderici Comitis de Viennâ, sed tacito patris eius nomine. Sub annum 1193, ut censet Browerus, Ioannem Trevirorum Archi-Episcopum captivum abduxit. Id ita scriptum in vetustis Trevirorum libris. *Captus* Ioannes Archi-Episcopus *à Comite Viennensi, custodiæ mancipatus est. Vndè permotus Henricus Palatinus Comes Rheni, dixit, se exponere velle se & sua ad liberationem Domini sui. Ipso ergò & aliys potentibus ad bellum se parantibus,*

Comes

Comes Episcopum dimisit transactione interveniente. Ita exemplar V. A. Eustachij Wilhemij quondam Præsidis Lucilıburgensis, nomine proprio, Comitis Viennensis, prætermisso. Sed exemplaria alia Friderici nomen repræsentent oportet, tum quòd Christophorus Browerus, eo nomine hâc in narratione usus est, tùm verò maximè, quod in adversarijs antè annos centum scriptis, hic locus ex Trevirorum libris cum *Friderici de Viennâ* nomine refertur.

Anno sequenti 1194 Fridericus interfuit bello Namurensi. Cùm enim Balduinus Hannoniæ Comes Henricum, cognomento Cæcum, Comitem Namurensem & Lucilıburgensem, Namuro depulisset, Henricus Brabantiæ Dux pulso tulit opem. Iunxerant eius exercitui copias suas Henricus Dux Limburgensis, Theodoricus Comes Hollandiæ, Gerardus Comes Iuliæ, Albertus Comes Daaburgensis; iunxit & suas Fridericus Comes Viennensis. Pugnatum mense Septembri, Victore Balduino.

Adfuit deindè Fridericus scribendo inter Viros Principes atque magnates, cum Henricus Palatinus Comes Advocati ius; quod ei erat in Civitatem Trevirorum, Ioanni Archi-Episcopo vendidit. Conditæ tabulæ anno 1198.

Anno 1200. *Elisa Dei gratia Comitissa Salmensis, dat Ecclesiæ in Niderprum ius Patronatus Ecclesiæ Sigendorff in allodio suo sitæ, testibus Gerardo Prumiensi Abbate, Wilhelmo Decano maioris Ecclesiæ Trev. Friderico Comite*

Comite Viennensi (cuius sigillum etiam appensum est) & Mathilda Comitissa Viennensi & alijs. Hæc ego olim meâ manu in inferiore Prumiâ ex tabulis autographis.

Anno 1205. ut rationes subducit Browerus, Friderico diffidium fuit cum Ioanne Trevirorum Archi-Episcopo. Liber *Gestorum Trevirensium* rem ita narrat : *Comes Viandensis castrum ædificare cœpit, non longè à Civitate* Trevirorum. *Quintenberg* à Quintâ rivo proximo ita dictum, *iuxtà fontem Milonis*, haud procul vico Erangio. *Ioannes igitur collecto exercitu castrum obsedit. Aliud ipse in proximo fonte ædificavit, & sic obsidionem solvit. Infrà paucos dies per eius industriam vino optimo ibidem tabernariè exposito, castellani, servi Comitis, facti sunt temulenti : eisque sic soporatis, castellani Episcopi castrum Comitis invaserunt, & combusserunt; quo facto Episcopus delevit & suum.* In Chronico Cononis à Falkenstein Archi-Episcopi Trevirensis, idem ijsdem propè verbis memoratur, sed neque nominato Friderico. Ei tamen hæc attribuit Browerus, nec dissentiente me. In ijsdem *gestis* de Friderico ita scriptum, sed absque temporis nota. *Idem* Ioannes Trevirorum *Archi-Episcopus conquisivit à Friderico Comite de Viennâ ambo castra sua in Dudelendorff, & castrum suum in Garlant, quæ & ipse, Ecclesiæ Trevirensi contulit, & ab Archi-Episcopo in beneficio recepit.* Obijt Ioannes anno 1212. Ad Fridericum quoque retulerim, quod ex vetustis Trinitariorum Viennensium monimentis haustum tradidêre Bertelius & Browerus, cuius

cuius posterioris verba ponam. *Henrici Comitis Viennensis* (de quo mox) *pater, in sacra Palestinæ loca profectus, cum istic à Barbaris captus diu ærumnoseque in arctâ custodiâ latuisset, denique stipe & benignitate Redemptorum, quos per fidum hominem sollicitarat, servitutem excussit, nexuque Barbarico solutus, cum assertoribus rediit ad suos salvus. Lytrum indè Ordinis Magistro solvit, & humana aliquot post annos exuit.* Hæc cum Bertelio Browerus Friderico haud cunctanter attribuunt, patrem eum appellantes Henrici, qui posteà Trinitariorum Domum Viennæ constituit. Ego nullo quidem veterum testimonio Henrico patrem fuisse Fridericum comperio, rerum tamen temporumque concordia id facilè persuadet.

Friderici sororem statuo Mathildam, quæ cum eo tabulas inferioris Prumiæ anno 1200. signavit, de quibus suprà. Neque pugnat, quod *Comitissa Viennensis* inscribitur, quasi ius ei aliquod in Viennam, ac proindè Friderici potius uxor, quam soror, videri possit. Nam & puellis innuptis vivis parentibus secula illa nomen *Comitissarum* interdum dederunt. Ita Hermannus, scriptor rerum Yolandæ, filiam Comitis Salmensis (qui erat Henricus tuncque vivebat) sponsam Friderici fratris eius, *Comitissam Salmensem* nuncupavit, cum eam introducit invitantem Yolandam ad choreas:

> **Dy hind dy suster danzen hyz**
> **Von Salmen dy grebinnen.**

Hæc porrò Mathilda nupta primum Lothario Hochstadensi Comiti, peperit Lotharium Comitem Hochstadanum, Conradum Coloniæ Agrippinæ Archi-Episcopum, Fridericum Præpositum S. MARIÆ ad Gradus Coloniæ, aliamque prolem. Lothario dein post annum 1227. defuncto, iuncta est Henrico, ex præposito Traiectensi Comiti de Duras, filio Gerardi Comitis Lossensis, ex eâque suscepit Hymanam, Abbatissam Salsiniensem. Hinc in tabulis Salsiniensibus, quas Hermannus Crombachius à me missas in Vindicijs Ursulanis evulgavit, dicta est Hymana Conradi Archi-Episcopi *Soror Uterina*. Hinc quoque Hymana eadem, Henricum, Yolandæ Patrem, consanguinitatis vocabulo (Sippe) apud Hermannum appellat; quippe eius consobrina. Hinc denique ibidem Yolanda Conradum, Oeme, id est, avunculum, Hymanam vero, Mume/ hoc est, amitam sæpè nuncupat; more nimirum eius ævi, quo id licebat patruelium & consobrinorum liberis, prout doctè demonstratum à V. C. Iacobo Chifletio, Lumine Salico VII. & XI. ad Vindicias Hispanicas.

Præter Hymanam Conradi Archi-Episcopi sororem, alias tres memorat Hermannus; quæ Yolandam, sicut Hymana, impugnaverint, quarum trium in eo opere prima fuit Ordinis Cisterciensis Aleida, Antistita ad D. Walburgis. Hæc cum eâdem Hymanâ ex oraculo S. Iulianæ quingenta D. Ursulæ sodalium cadavera Coloniæ

niæ invenit, perque varia Belgij cœnobia distribuit, ut Fizenius in libro de origine diei festæ Corporis Christi ex antiquis, & Crombachius in Vindicijs Ursulanis. Altera in impugnandâ Yolandâ fuit Hengenbachia, *Begina*. Post has duas, tertia successit in eo certamine Abbatissa ad D. Thomę in Treviris. Has omnes Conradi sorores vocat Hermannus patrio vocabulo Yolandę Muhmen/hoc est severè loquendo, amitas vel materteras; utrumque enim vox ea significat. Sed Hermannum voce Muhmen usum laxè, prout valet cognatas, iam monuimus. Erant autem tres istę Conradi sorores, cognatę Yolandę, quod natę essent ex Mathildâ Viennensi; sicut & Hymanâ, quę Henrico Durassio progenita, erat Conradi, ex Mathildâ & Lothario Hochstadani orti, uterina. Trium autem reliquarum uter fuerit Pater, an Lotharius Hochstadanus, an Henricus Durassius, non comperi.

FRIDERICI LIBERI.

HENRICUS, de quo posteà.

N. N. filij capti cum Henrico fratre à Walramo Limburgio, Comite Luciliburgensi, in bello, quod ei fuit cum Philippo Comite Namurcensi, anno 1220. ut mox pluribus.

CAPUT II.

Henricus Comes Viennensis & Namurensis; eius Vxor Margarita Curtiniacensis, & horum liberi.

CAptus est Henricus in bello Namurensi anno 1220. ut suprà dici cœptum. De eo bello ita eodem anno Albericus. *Comes Namurensis Philippus, Comitis Petri Autissiodorensis filius, contrà Valerannum* (Limburgicum Comitem Luciliburgensem) *varios habuit conflictus. Sed tandem per Episcopum Leodiensem* (Hugonem Petrapontium) *& Archi-Episcopum Coloniensem* (D. Engelbertum) *bonis viris mediantibus firma pax interponitur.* Hoc bello Henricum Viennæ Comitem cum fratribus partes Philippi secutum, inferiùs dicenda non obscurè demonstrant; cur autem secutus sit, an quod iam tum esset Philippi sororius, ductâ eius sorore Margaritâ, divinandum relinquo; etsi non est improbabile. Id certum, captum eum per id bellum à Walramo, eiusque fratres. Cùm enim eodem anno 1220. mense Augusto, inter Walramum & D. Engelbertum Archi-Episcopum Coloniensem, (cui cum Walramo de Montium ditione erat controversia) pax agente Henrico Brabantiæ Duce conciliaretur, inter pacis capita, unum illud fuit, ut Walramus Henricum Viennæ Comitem eiusque fratres, quos captivos habebat,

bebat, liberos sine ullâ conditione adiectâ dimitteret. Quod si inposterum Viennensis clientelæ causâ Walramo esset cum Henrico controversia, ut ne eâ re pacis huius quidquam violaretur. Hæc ex tabulis pacificatorijs Gelenius, in actis D. Engelberti, & Butkenius in trophæis Brabanticis. Cæterùm hinc intelligitur, iam hoc tempore clientes fuisse Luciliburgensium Comitum Viennenses, deque eâ re agitatâ cum Walramo Comite Luciliburgensi diffidia, quæ sæpè deinceps memorabuntur.

Fuerunt ad hæc in clientela Prumiensis cœnobij Comites Viennenses, quâ de re est locus egregius in veteri codice Prumiensi. Continet is descriptionem iurium atque vectigalium cœnobij, exaratus primum anno 993. iterùm deindè (sed adiectis interdum notationibus) anno 1222 à Cæsario ex Abbate Prumiensi, cœnobitâ Heisterbacensi, cuius meminit Cæsarius alter Dialogorum ille scriptor. De clientelâ porrò Viennensi hæc est annotatio. *Constat Comitem Viennæ* (erat Henricus noster) *tertiam partem Abbatiæ citrà Kile fluvium ab Ecclesiâ in Feodo possidere, & duas partes, nobis & conventualibus Ecclesijs ac ministerialibus nostris retentas, sic ut, fidelis noster & nobilis homo, ab invasoribus deberet, quantùm in ipso esset, defendere; ita tamen, quod ibidem nullam violentiam contrà suum iuramentum præsumeret inferre, & nihil ibidem, præter servitium, quod ei à Prædecessoribus nostris indultum est, quod Voidinest appellatur, & tertiam partem placi-*

Iorum, sive satisfactionem, debito modo secundùm privilegia Ecclesiæ deberet percipere, & non solum nobis, sed toti familiæ, ut ita dicam, honorem exhibere, & in omnibus, ubi necessitas requireret, sub alis suis refugium & fidele auxilium ministrare. Prædictus enim Comes tenet ab Ecclesiâ curiam de Clutterche, & curiam de Trittenheim, & item Trittenheim, curiam I. in Sueyge, curiam de Veis, quæ sita est suprà Prumiam fluvium, curiam de Trimparden, curiam de Mettendorff, curiam de Daleyden & magnam Viciniam circà Daysberche castrum, quod etiam tenet à nobis. Curiam de Mandersceit juxtà Vasuibre, curiam de Didendorff, curiam de Bure juxtà Remeche, ius patronatus & duas partes decimæ Ecclesiæ de Kileburhe iuxtà Malberche, curiam de Oremute, ubi Kila oritur, Villam I. iuxta Lizendorff, quæ Buyle appellatur, medietatem curiæ de Scohoye iuxtà Monasterium. Item Monasterium, & Arre, & aliquas villas, & magnam silvam. Puto prætereà eum tenere iuxtà Arre bonam villam, quæ appellatur Muckesceyt; attinet enim illi curiæ ius patronatus Ecclesiæ eiusdem villæ, quam tenent ab eo hæredes Domini Vareboldi de Arre. Ista planè non constant mihi; idcircò investigate. Debet & tenere Ludenacker, & Pitersheim, quæ sita sunt ex illâ parte Mosæ iuxtà Mastric. Tenet etiam ius patronatus Ecclesiæ de Bastenache & alios reditus nostros ibidem cum decimâ. Sex enim patronatus tenet Ecclesiarum, Mettendorff I. Veys, II. Daleyden, III. Kileburch, IV. Bure iuxtà Remeche, V. Bastenache, VI. Puto etiam eum tenere patronatum Ecclesiæ de Sconhoye iuxtà Monasterium. Hæ enim curiæ, quas suprà descripsimus, amplos & longos & satis optimos habent

habent terminos. Præterea tenet duas villas iuxtà Dune castrum, quas illi de Manderſceyt, Dominus V. *& frater eius vel hæredes eorum, tenent ab eo. Præterea tenet alia quàm-plurima, quæ modo non habeo in memoriâ. Iſta planè non conſtant mihi; ideò inveſtigate.* Hactenus Cæſarius, enumeratis univerſim Viennenſium Comitum clientelis Prumiæ obnoxijs, quas deindè ſigillatim ſuis locis exequitur.

Præter hæc Prumienſia, poſſedêre Comites Viennenſes alia quam-plurima, & inprimis à Comitibus Luciliburgenſibus ipſam Viennam; quibus adde, quæ Henricus noſter D. Engelberto Coloniæ Archi-Epiſcopo clientelæ nomine ceſſit, *in Hamme; itemque ius de Nuenberg Comitatus de Manderſcheidt caſtri ſui*, quæ Gelenius in ſua Coloniâ memorat; ut ingentes, ſanè, fuerint Henrici opes, maximaque latifundia.

Tantis opibus & claro ſuo genere dignum iniivit matrimonium, ductâ Margaritâ, filia Petri Curtiniacenſis, Imperatoris Conſtantinopolitani, cuius avus fuit Ludovicus Galliæ Rex, cognomento Craſſus. Albericus *Sibillam* nominavit, an errore, an quod id alterum eſſet Margaritæ nomen, haud excutio.

Anno 1217. Petrum & Yolandam parentes ab Honorio III. Pontifice Maximo Romæ Imperatorio diademate coronari vidit cum fratribus Roberto & Balduino, tribuſque ſororibus, ut tradit Robertus Autiſiodorenſis, vetus ſcriptor, & poſt veteres Petrus d'Outremannus.

Nupserat antea Margarita Rodulfo Comiti Uxellodunensi, Odonis filio, ut Auctores sunt ex antiquis, Albericus; ex nostris, Andreas du Chesnius, & Petrus Chifletius, Viri Doctissimi, ille in Drocensi, hic in Fontanensi D. Bernardi stemmate. Sed ex eo matrimonio nulla fuit proles. Obijt Rodulphus Kalendis Martijs anno mihi incomperto. De die ita Ephemerides MARIÆ Vallis.

Kal. Martij, obijt D. Rodulfus Dominus Ysodunensis, primus maritus sororis Margaretæ, quondam Comitissæ Viennensis.

Nec magis compertum habeo, quo anno Henrico Margarita nupserit. Id ex tabulis constat, anno 1231 fuisse Henricum & Margaritam coniuges. Cum enim Margaritæ frater Philippus, bello Albigensi anno 1226 defunctus, testamento mandâsset condi cœnobium patrum Cisterciensium, Henricus & Margarita ex Philippi decreto cœnobium Grandis Prati in agro Namurensi condiderunt. In geminis eâ de re tabulis eo anno editis, inscribuntur, *Henricus Marchio Namurensis & Viennæ Comes, & Margarita Marchionissa & Comitissa.* Quo pacto autem ad Margaritam Namurensis ditio pervenerit, paulò altius hîc repetendum.

Henrici Comitis Luciliburgensis & Namurensis, cognomento Cœci, filia Aleida, nupsit Balduino Magnanimo, Hannoniæ Comiti. Is iure uxorio & Friderici Imperatoris concessu Namurum

rum occupavit, morienſque Philippo filio, Nobili appellato, ceu hæredi, tranſdidit.

Deceſſit hic ſine liberis, eiuſque ſoror Yolanda, Petri Curtiniacenſis uxor, Namurum per quadriennium habuit, poſtpoſito fratre eius Henrico, tunc ad imperium Orientis à Latinis proceribus excito, quoad tandem Philippo filio id ceſſit. Philippo autem in bello contrà Albigenſes anno 1226. haud longè Avenione defuncto, Margarita noſtra eius ſoror in Namurenſi ditione ſuffecta eſt. Sed non diu ei Namuro pacatô frui licuit. Primùm Ferrandus Flandriæ comes armis eam impetijt, quod uxori ſuæ Ioannæ præ Margaritâ ius in Namurum eſſe contenderet. Erant enim Ioanna ex Balduino Imperatore Conſtantinopolitano eius nominis primo: Margarita ex Yolandâ, uti dixi, eius ſorore, prognatæ, & naſcendi ordine Yolandam Balduinus anteibat. Quocircà potior ad habendum Namurum erat Ioanna. Et hæc cauſa eſt illati Margaritæ à Ferrando eiùs marito belli; quod pace mox ſecutâ ſopitum eſt. Pax ea facta Cameraci anno 1232. menſe Novembri. Ita relicto Margaritæ Namuro, Ferrandus & Ioanna coniuges eodem anno ratum habuêre, ex Philippi cognati ſui teſtamento, conditum ab Henrico & Margaritâ Grandis Prati cœnobium.

Intereà Balduinus Margaritæ frater evehitur ad culmen Imperij Conſtantinopolitani, ſub annum 1237. Rebus autem haud proſperè ei per

Imperij initia succedentibus, venit in Galliam, petitum à D. Ludovico Galliæ Rege suppetias. Addixit auxilia Ludovicus, & insuper Namurensem Provinciam pro Balduino armis à Margaritâ eius sorore repetijt. Nec passa illa sibi amplissimam ditionem facilè eripi, arma armis opposuit. Pugnatum acriter. Sed tandem Henricus cum Margaritâ non absque Namurensium sanguine ex urbe patriaque eiecti, locum Balduino cesserunt, cuius sunt tabulæ pro cœnobio Grandis Prati, factæ hoc anno mense Aprili Valentinianis.

Cætera deindè de Henrico & Margaritâ diximus in rebus Yolandæ. Addimus hic utriusque Elogium ex Ephemeridibus Grandis Pratis.

IV. *Kal. Novembris, Anniversarium Nobilissimi Marchionis & Comitis Henrici & Margaretæ contoralis eius, fundatorum nostrorum, quorum animabus misereatur Deus.*

Henrici et Margaritæ Liberi.

FRIDERICUS. Nominatur à Patre & Matre in tabulis anni 1248. quas in rebus Yolandæ adscripsimus. Nominant eum quoque Ephemerides Mariae Vallis, & Cantipratanus, etsi tacito patris nomine, ut ibidem diximus. Obijt antè eundem annum 1248. proque eo defuncto preces Anniversarias parentes Trinitarijs Viennensibus iisdem tabulis indixêre. Diem mortis eius ita signant Ephemerides quas dixi.

IV. *Idus*

IV. *Idus Novembris, obijt Fridericus filius Domini Henrici Comitis Viennensis.*

Exindè primogeniti titulus Philippo eius fratri secundogenito tributus est. Ita in tabulis anni 1248. memorati Henricus & Margarita, dotantes Trinitarios Viennenses, aiunt, se id facere de consensu Philippi sui *Primogeniti*; ac deindè Anniversaria sacra instituunt pro se vivis, & filijs *Friderico* & *Philippo*; illo quidem reapse primogenito eaque de causa primo loco nominato, sed mortuo; hoc autem vivo, & secundogenito, ideoque secundo loco posito, succedente tamen in ius primogeniti. Undè & in titulo arcæ, de quâ in rebus Yolandæ, Philippus *Primogenitus* quoque dictus est.

Uxor ei fuit filia Comitis Salmensis, Henrici, ut interpretabar ego. Nuptiarum solenne ex Hermanno recensuimus. Ea Friderico mortuo, ut auctor est Thomas Cantipratanus, Waltheri Meisenburgij suasu Sanctimonialis facta est Cisterciensis, & tandem in eodem ordine Antistita.

Liberosne ex Friderico sustulerit, nullo veteri monimento traditum invenio. Colligit tamen in historiâ suâ Luciliburgensi V. A. Eustachius Wilthemius, sustulisse Henricum Bellacostæ Dominum, qui in tabulis anni 1270. Philippum Yolandæ fratrem vocat idiomate Gallico *Oncle*, quæ vox patruo & avunculo æquè convenit, & positam esse pro patruo, infrà in Philippo, ad

annum 1256. probabili argumento patebit. Adde quod Bellacoſtani proceres Henrici poſteri, inſignijs Viennenſibus vetuſtis, hoc eſt, Parmâ argenteâ in areâ rubrâ, uſi fuerint, cuius rei ſunt exempla iam indè ab anno 1341.

Qua id porrò de cauſa, niſi quod eſſent paterno genere à Viennenſibus Comitibus orti? Undè & idem Præſes, in collectione procerum gentis Bellacoſtanæ adnotavit: *Domini in Schonecken à Comitibus Viennenſibus deſcendunt.* Quibus omnibus efficitur, Friderici Viennenſis ex coniuge Salmenſi fuiſſe filium Henricum Bellacoſtanum.

PHILIPPUS. Is genus poſt patrem propagavit, de quo deindè ſeorſum.

HENRICUS, clarus infulâ Pontificiâ Traiectenſi. Sed antè claruit dignitate Præpoſiti ædis maximæ Coloniæ Agrippinæ, quo titulo eum perpetuò cohoneſtat Hermannus. Poſteà Yolandâ eius ſorore cœnobium MARIAE Vallis anno, ut diximus, 1248 ingreſsâ, ad Cathedram Pontificalem Traiectenſem evectus eſt. Cum enim anno 1249 Otho Epiſcopus Traiectenſis obijſſet, ſublectus ei eſt Goſwinus ab Amſtel. Sed eo per annum rem malè gerente, conventus habitus Traiecti. Adfuerunt Wilhelmus Romanorum Rex, Petrus Cardinalis Capitius, & Conradus Archi-Epiſcopus Colonienſis, & cedente Goſwino, iubente Conrado, ſublectus eſt Henricus filius Comitis Viennenſis, Conradi *Conſanguineus*, ut ait Ioannes à Leidis. Non tulêre proceres

Am-

Amſtelani & Voerdenſes, Goſwinum propinquum ſuum ita redactum in ordinem. Igitur cum Othone Geldriæ Comite iuncto fœdere, Henricum armis infeſtant. Is vir ſtrenuus copias in hoſtem Traiecto educit, benè apprecante & victoriam ominante, qui tum Traiecti aderat, Conrado Archi-Epiſcopo. Mox fama excivit Regem Romanorum Wilhelmum; quem Traiectum advolantem, ut bellum ſopiret, Conradus ſapienti oratione intrà mœnia continuit. Intereà Henricus cæſis fugatiſque hoſtibus victor Urbem equo invehitur, captos victoſque iuxtà ſe agens Amſtelium & Woerdenum; quos tamen Conradi rogatu mox liberos dimiſit.

Non paſſus diu inultum manere initum contrà ſe Othonis Geldri fœdus, poſtridiè, quàm de hoſte triumphaverat, victricia in eum arma convertit. Otho contrà egreſſus in aciem, cæſus fugatuſque ceſſit ingentem Henrico prædam. Per eadem tempora anno 1251 Henricus, etiam tùm electus tantùm Archi-Epiſcopus, & adhuc Præpoſitus ſummæ ædis, & Archi-Diaconus Colonienſis, cum à Pontifice Maximo obtinuiſſet, ut ſibi liceret proventibus ſuorum *Beneficiorum*, ut vocant, uti, frui, conceſſit Elyſæ Abbatiſſæ SS. Virginum D. Urſulę ſodalium Colonię, ut Parœcia Kellenſis ſibi debitos fructus haberet; quod anno deindè 1252. 5. Kal. Auguſti ratum habuit, etiam tùm quoque Electus tantum, ut ſuprà dictum. Tabulas edidit Crombachius in Vindicijs Urſulanis. Inpo-

Inposterum *Electi* titulo liberatus, anno 1254. fundamenta iecit maximę Basilicę Traiectensis. Eius quoque opus est arx *Vrelandia*, ita dicta à pace partâ post devictos Amstelios. Ex quâ victoriâ ingenti confectâ prędâ, suffecêre imposterum opes ad antè memorata aliaque molimina.

Interim dum his rebus curam Henricus impendit, successit novi belli materia. Anno 1258. in decursionibus equestribus Antuerpię læsus gravissimè Florentius, Florentij pueri Hollandiæ Comitis tutor, occubuit. Hinc scissi in factiones Hollandi, alijs Othoni Geldriæ Comiti, alijs Henrico Brabantiæ Duci tutelam deferentibus. Unde intestina bella, vicinos etiam Principes commovêre. Conradus Coloniensis Archi-Episcopus & Gerhardus Iuliacensis Comes in arma coorti, prælio conflixerunt. Henricus iunctis adversus Geldrensem cum Conrado copijs, post longum & acre certamen, noctis interventu simulata fuga, tabernaculis repentè sublatis, discessit. Sed postero die sub auroram Geldrenses nec opinantes aggressus accîdit, & castris exuit, fugientesque insecutus atque populatus agros, prædam ingentem victor retulit, ut narrant Beka & Leidanus.

Eodem anno Theodoricus Clivię, & Otho Geldriæ Comites, bonis suasoribus, controversiam quandam submisêre arbitrio Conradi Archi-Episcopi Coloniensis & Henrici Traiectensis. Locus arbitrij lectus Neomagum. Sed arbi-

tris moram subindè trahentibus, delata controversia ad Henricum Brabantiæ Ducem, si priores arbitri ad X. Kal. Octobris Neomagi non adessent. Hæc Butkenius ex tabulis. Quo pacto deindè Henricus fratri suo Philippo ab Henrico Bellacostæ Domino capto subvenerit, in rebus Philippi exponam.

Anno 1268. ad MARIAE Vallem advenit, vt in rebus Yolandæ dictum. Indè Traiectum reversus, prid. Nonas Iunij eiusdem anni decessit. Collegium Canonicorum Steinwichiæ primus instituit, & Provinciam optimè munitam successori suo reliquit. Situs est in æde maximâ à se condi cœptâ, hoc epitaphio adscripto.

Qui nova precelsi iecit fundamina templi,
Præsidium Vreland extruit huic populo.
Vir placidus, recti custos, virtutis amator;
Tempore quem nullo laus reticenda manet.

In Ephemeridibus MARIAE Vallis ita de eô scriptum est.

Prid. Nonas Iunij Obijt D. Henricus Episcopus Traiectensis, qui nobis multa bona fecit; pro cuius Anniversario agendo D. Iohannes de Iubileo dedit nobis XXII. libras Trevirensium Denariorum, cum quibus comparavimus XX solidos censuum Trevirensium Denariorum, & tria maldra siliginis redditumm singulis annis in Molendinis de Stirpenich, de quibus conventus habebit ad pitanciam XXX solidos ipsâ die.

Item Anniversarium prædicti Iohannis Canonici Leodiensis, de quo habemus in Theonisvillâ XL solidos censuum

suum Metensium Denariorum, & IV amas vini in quadam vinea posita ibidem iuxtà vineam nostram singulis annis. Hic ordinavit, ut pro se, & pro prædicto D. Episcopo dicerentur tres Missæ per singulas hebdomadas sancti Petri Martyris.

Iudicium vicus est trans Mosellam è regione Theodonisvillæ, patria Johannis à Iubileo, ubi Ludovici Pij Imperatoris filij, Lotharius, Ludovicus, & Carolus anno 1344. Synodum seu conventum habuêre. Nunc contractâ voce *Ieudtz* appellamus; quod *Iubilum* ore nostro significat. Hinc Ioannes ille Canonicus Leodiensis, cognomen sibi fabricatus est à *Iubilo*, ignoratione, ut ferebant rudia illa tempora, Latini nominis patriæ suæ. Othonibus imperantibus Iudicium Comitatus in pago Mosellensi erat caput, iisdemque temporibus Ioannes Abbas Gorziensis, in actis translationis Divæ Glodesindis, *Villam Iudicium* nuncupavit.

PETRUS. Fuit præpositus D. Martini Leodij. Sub annum 1264. cum Henricus Bellacostanus eius nepos Philippum Comitem Viennensem, ipsius Petri fratrem, Bellacostæ captivum detinuisset, persuasit Henrico fratri Traiectensi Episcopo, ut Philippo subveniret,

Degebat per hosce dies Leodij ad D. Martini *reclusa* Eva, Iulianæ in festo die Venerabilis Sacramenti instituendo adiutrix. Ad eam hoc eodem anno VI. Idus Septembris, Urbanus Pontif. Max. Viterbio diploma gratulatorium decretæ,

cretæ à se toto orbe terrarum illius festi diei, iam multò ante apud D. Martini Canonicos agente Iulianâ celebrari cœptæ, transmisit Petrum porrò D. Martini Canonicorum tunc præpositum, haud dubiè non parum res ista attinuerit. Anno deindè 1271 Efternaci tres fundos hæreditarios, Ienensem, Buwilranum & Huchelinganum Margaritæ Comitissæ Luciliburgensi, eiusque filio Henrico, clientelares fecit, transituros sub ijsdem formulis ad Philippum fratrem suum, eiusque posteros Comites Viennenses. Tabularum habeo exemplar.

Denique Yolandæ sororis exemplo, spretâ inclyti generis prosapiâ, Patrum Dominicanorum Ordini se dedidit. De eo ita Ephemerides MARIAE Vallis.

Nonis Februarij obijt frater Petrus Prædicator, frater sororis Yolandæ Viennensis. Hâc die habebit conventus ad pitantiam X. solidos de bonis de Nortzingen.

YOLANDA nostra incomparabilis.

N. filia incomperti nominis, ex solo Hermanno cognita.

CAPUT III.

Philippus Comes Viennensis & Dominus Grimbergensis, eiusq; uxor Maria, horumque Liberi.

PHILIPPUS, genus in posteros propagavit. Friderico fratre maiore natu mortuo,

primogeniti titulus ei, ut suprà dictum tributus est, quòd in eum transisset ius & omnia primogeniti. Anno 1248. mense Iunio, iam ductâ uxore probavit, quod pater & mater eisdem Trinitarijs donassent domum hospitalem Viennensem & Parœcias Mettendorfiam & Daleidanam. Tabulas posuimus in rebus Yolandæ. Cum iisdem parentibus alia deindè Trinitarijs contulit anno 1252. mense Iulio, ut ibidem dictum.

Patre post hæc in Palæstinam profecto, cum mater Comitatu Viennensi se abdicasset, donavit iisdem Trinitarijs silvam, quæ inter Darrenbachium & Kincenbachium, ut ex tabulis autographis habeo, in quibus ita scriptum. *Actum publicè coram Nobili & Charissimâ Matre nostrâ Margaretâ, quondam Comitissa Viennensi, præsentibus Viris Nobilibus Ioffrido de Wels, Henrico de Hokeleleic, Gerardo d'Erpeldangès, militibus &c. Anno 1252. mense Februario.* Annus hîc positus more veteri Gallico, quem hodieque morem Treviri servant, & cum annum à Ianuario nos ordiamur, illi inchoant à XXV. Martij, tantò serius post nos. Editæ ergo hæ tabulæ anno epochæ nostræ non 1252. sed sequenti 1253. Cera appensa tabulis, habet equitem, qualem in rebus Yolandæ descripsimus, cum insignijs Leonis. Circumscriptum. S. PHILIPPI DE VIENNA DOMINI DE DASBERCH. In aversâ cerâ circûm Parmam Leone notatam: CLAVIS SIGILLI.

Mirabar hoc loco, cur in illâ Philippi cerâ,

Comes

Comes ipse Viennensis non inscribatur, sed tantùm Dasberchi Dominus, contrà quam in ipsismet tabulis factum in quibus disertè se dicit Comitem Viennensem? Sed occurrebat, eum sigillo vetere usum, quo antehac, patre etiamnum vivente, ceras notabat, qualis est cera illa in rebus Yolandæ descripta anno 1252. Et memineram exempla vidisse me in archio nobilissimi cœnobij D. Maximini, ubi Otho Secundus signavit Patris imagine, & contra Otho Primus imagine filij; ut satis appareat, veteres in ceris tabularum notandis non summâ semper religione ductos, sed alia subindè sigilla impressisse pro alijs. Alioqui, Philippum deindè usum paternis Comitum Viennensium insignijs, hoc est Parmâ in scuto, observavit V. A. Eustachius Wilthemius, Præses Luciliburgensis, in collectione familiarum equestrium provinciæ nostræ.

Roda vicus est Viennâ haud procul, parœcia quondam erat Viennensium, Templarijs subiecta. Sed quòd Viennensibus grave esset ibi frequentare sacra, & quod eius parœciæ essent opima vectigalia, Arnoldus Trevirorum Archi-Episcopus eam partitus est, ita, ut duæ in posterum essent, altera Rodæ, iuris Templariorum; altera Viennæ, iuris Comitum. Tabulas eâ de re anno 1256. mense Aprili factas, Magister Fulco de S. Michaële, domorum Militiæ templi in Franciâ, & Comes Viennensis Philippus, cum coniuge, laudaverunt.

Bellò deindè Philippus cum Mediomatricensibus implicitus eſt, horumque partes viſus eſt tenuiſſe Henricus Comes Luciliburgenſis. Capta eo bello Vienna. Philippus recuperaturus ſuum oppidum, illud obſedit. Belli exitum atque cauſas non invenio. Facilè tamen cùm V.A. Euſtachio Wilthemio eo retulerim, quòd Henricus Bellacoſtæ Dominus, Philippi ex Friderico fratre primogenito antè hæc tempora iam mortuo nepos, Viennam ſibi, ut ſuccedenti in iura patris, arrogaret, contrà negante Philippo, ſucceſſionis eius ius illi competere: Undè factum, ut Bellacoſtanus defenſioni iuris ſui auxilia imploraverit. Cuius autem potius, quam eius, in cuius clientelâ erat ab antiquo Vienna, Henrici Comitis Luciliburgenſis? Nec alienum fuerit opinari, Philippum, aut neglexiſſe clientelæ officium; aut ſanè etiam omninò excutere conatum, ob eamque rem Henricum Luciliburgenſem facilè ad arma contrà eum cum Henrico Bellacoſtano commotum. Certè Philippus multâ poſt hæc variâque pactione ægre adactus eſt, ut ſe clientem Luciliburgenſem Viennæ nomine, maiorum more profiteretur, ut in loco dicam.

In quibuſdam tabulis anno 1270 ſcriptis, ait Philippus, ſe unà cum filio Godefrido è caſtro Viennenſi fuiſſe olim eiectum, & cum Henrico Bellacoſtano pacem pepegiſſe; ut perſpicuum ſit, Bellacoſtani causâ præcipuè geſtum hoc bellum. At cur ei bello Mediomatricenſes intervenerint, nondum

nondum assequor. Cum Henrico quidem Luciliburgensi ita tandem Phllippus convenit, ut damna bello invicem sibi suisque illata, quisque pro se ferret. Tabulæ eâ de re sunt in archio Luciliburgensi, factæ anno 1257. die Lunæ post D. Nicolai ferias. Cum Bellacostano quoque pax inita, sed minimè duratura, ut eventus patefecit.

Interim finis impositus est Rodensi controversiæ, & quid Viennensi Parœciæ, quidve Rodensi iuris esset, tabulis anno 1261 conscriptis, definitum, cuncta laudantibus Philippo Comite, & Mariâ coniuge eius, & Huberto de Peraut, Præceptore domorum Militiæ templi in Lotharingiâ.

Hic monuerim, veterem esse famam, arcem Viennensem Templarijs quondam paruisse Dominis, sed errore. Causam errori præbuerit, quod Viennensis parœcia à Rodensi Templariorum partitione, de quâ suprà, velut prognata sit. Nec famam à vanitate defendit, quod hodieque in sacelli arcis Viennensis parietibus vetustæ admodum pictæ sunt imagines Templariorum, aliorum equis vehentium, aliorum sacro habitu convestitorum. Potuêre qualibet de causa hominum ad Viennensium sacrorum originem spectantium imagines in arce depingi.

Bello deindè inter Henricum Bellacostanum & Philippum redintegtato, ille hunc Bellacostæ captivum habuit. Id ubi comperit Philippi frater Henricus Episcopus Traiectensis, suasu Petri

 fratris

fratris eorum, Præpositi ad D. Martini Leodij, Virorumque Nobilium atque amicorum, egit de liberando Philippo cum Henrico Comite Luciliburgensi. Is liberatione in se susceptâ, ita pactus est: Ut Philippus eiusque posteri Viennam à se successoribusque suis clientelari iure tenerent. Additum, ut Bellacosta Philippo restitueretur, nisi per pacta pacis cederet Henrico Bellacostano: ea autem pax ut ne fieret absque interventu Henrici Episcopi, & Petri Præpositi ad D. Martini fratrum, & Præpositi ad D. Gereonis Coloniæ Agrippinæ. Bellacostam si Luciliburgius obsideret, & liberando Philippo restituendaque ei Bellacostâ sumptum bello faceret, 700 libras nummûm Turonensium, nec amplius, acciperet: ut maturandâ Philippi liberatione, Viennam interim Philippus Rulandio & Koerichio viris equestribus, ceu fideiussoribus, committeret. In hæc maximè capita, scriptæ signatæque tabulæ, anno 1264. pridiè festæ diei D. Petri, mense Augusto. Ita liberatus Philippus: Bellacosta Henrico addicta: Vienna Luciliburgensi, clientelæ nomine asserta, necdum tamen Philippo reddita.

Anno deindè 1266. mense Iunio, Philippus unà cum Mariâ coniuge, Henricum Grimbergium, fratrem Domini ab Asch, clientem perpetuum factis tabulis sibi adscivit, dato ei fundo Bouggenhoutano. Tabulas habet Butkenius.

Eodem anno, pridie festi diei assumptæ in cœlum Virginis, Henrico Comite Luciliburgensi faciente

faciente fœdus cum Friderico Lotharingiæ Duce adversus Theobaldum Barri Comitem, inter decemviros Luciliburgensium procerum, qui in pacta iuraverunt, fuit Philippus. Tabulas edidit Hieronymus Bergierius, in libro de stemmate Principum Lotharingorum. Quod verò antè quinquennium inter Henricum Luciliburgensem & Henricum Episcopum Traiectensem pactione convenerat, ut Philippus Luciliburgensi Viennam clientelæ nomine submitteret, id anno 1269. scriptis die festo D. Barnabæ, mense Iunio, tabulis, peractum est: nimirum, ut arx Viennensis cum oppido omnique ditione, & quidquid ad eam attineret, demptis rebus quæ in clientelâ essent Prumiensium Abbatum, Henrico Comiti Luciliburgensi posterisque eius, clientelari iure subiecta essent. Et quamquam iam ab antiquo clientelam hanc maiores instituerant, firmata tamen est, numeratâ Philippo pecuniâ, aliisque additis conditionibus. Cumque anno sequenti 1270. Henricus Luciliburgensis cruce signatus in Palæstinam profectus esset, iterata est clientela antè memorata, addictaque Margaritæ eius coniugi, & Henrico maiori natu filio (qui deindè ad Buruncum occubuit) additumque clientelæ velut augmentum; Primùm bona Philippi clientelaria Prumiensia, sed secundariò; *postfeudum* seu *retrofeudum* appellabant: deindè arx novi Castri in Arduennâ Germanicâ, cum agro suo, ita tamen, ut Fridericus Novocastrius earundem

rerum causâ remaneret in avitâ Philippi clientelâ ex dimidio: altero dimidio iam directâ clientelâ pro 300. libris nummûm, Luciliburgensibus futuro imposterum obnoxio. In hæc data à Philippo iurataque fides, die Matris ultimo antè ferias ieiunij quadragenarij. Testes adscripti tabulis, Henricus Bellacostanus, & Fridericus Novocastrius.

Alijs deindè tabulis eodem die cuncta antè dicta firmata sunt; decretum insuper à Philippo, ut si quidquam eorum ipse eiusve posteri infringerent, tum clientes sui, Godefridus de Esch, Novocastrius, Rudolfus de Strepiniaco, Brandeburgensis, Oschetanus, Heinsbergius, Guarnerus, Bourcheitanus, posterique eorum, viri omnes equestri ordine, in Comitum Luciliburgensium clientelam transirent, cum iisque contrà Viennenses starent, quoad iniuriæ factum esset satis. Ceras cum Philippo tabulis apposuêre Godefridus de Esch, Fridericus Novocastrius, & Rudolfus de Strepiniaco. Eodem anno atque die Henricus Bellacostanus Margaritæ & Henrico eius eius filio Comitibus Luciliburgensibus, Bellacostam & curiam Prontsfeltanam, clientelarem fecit. Excepit tamen Philippum Viennensem patruum suum, eiusque filium Godefridum, nimirum, ut contrà hos arma ferre ne teneretur, ipse posterique eius, intrà generationem quartam: imposterum, ut ne valeret exceptio. Addidit. Si contigeret Philippum arcem Viennensem recipere,

pere, nec pactæ paci stare velle, tùm Henricum Luciliburgium sibi contrà Philippum auxilio esse oportere, seque & eius successoribus cum eodem Luciliburgio adversus Philippum, aliumve quemlibet Viennæ ac Dasbergi insessorem, seu is Dux Lotharingiæ foret seu quis alius, arma societatemque posse coniungere.

Ceterum quod Lotharingo in Viennam & Dasbergum ius esse potuerit, non comperi. Si coniectare licet, ita opinor. Hieronymus Vignierius, gravis doctissimusque stemmatis Lotharingici scriptor, tradit, Idam de Viennâ nuptam Friderico Lotharingiæ Duci, cui à Bittis est vulgò cognomen, filio Ducis Mathæi. Idam autem interpretatus est Matisconensem. Sed viderit, si libet, sitne rectius interpretari Idam Viennensem nostram ? Sic Lotharingorum Principum ius aliquod uxorium in Viennam & Daspergam facilè erit assequi, atque insuper Cantipratanum intelligere, dum Yolandam appellat *Moderatoris* seu Imperatoris *Romanorum* neptem. Fuit enim Mathæi Lotharingiæ Ducis uxor Friderici mater, Berta, soror Friderici Barbarossæ Imperatoris, anno 1190. defuncti, ac proindè rectè à Cantipratano dici potuit Yolanda Barbarossæ *neptis* seu cognata. Neptes enim ea secula qualescumque cognatas nuncupabant, ut docet V. C. Iacobus Chifletius in vindicijs Hispanicis.

Eodem item anno Millesimo ducentesimo septuagesimo, sed incompertâ die, Philippus Henrico

rico Comiti Luciliburgensi scriptis tabulis testificatus est, quæ ipse à patre Henrici, eo tempore cruce signato, ob damna illata in arcibus ceterisque rebus iure deposceret, de ijs omnibus sibi cumulatè satisfactum.

Anno sequenti 1271. idem Philippus cum coniuge Mariâ Henrico Grimbergio clientelarem fundum Bouggerhoutanum, adiectâ silvâ, adauxit. Tabulas edidit Butkenius.

Tandem anno 1272. Philippus decessit. Diem mortis Ephemerides Mariae Vallis ita habent: *IX. Kal. Maij, obijt Philippus Comes Viennensis. Hac die habebit Conventus ad pitantiam XX. solidos.*

Uxor Philippi fuit Maria de Perviciaco, mortuo fratre Godefrido, hæres Perviciaci & Grimbergæ, quos exindè titulos Comites Viennenses Philippi posteri sumpsêre, cum ipsis adeò insignijs Perviciacensibus, nimirum, parmâ rubrâ, cum fasciâ argenteâ.

supervixit Maria ad annum usque 1275. quo anno ipsa, titulo Dominæ de *Grimberge* & de *Perweis*, Godefrido filio clientelæ nomine varios fundos attribuit. Tabulas eius rei Butkenius protulit.

Philippi & Mariæ Liberi.

HENRICUS. Antè annum 1280. decessit, si non multò antè. Anno siquidem 1270. in quibusdam tabulis, ut suprà dictum, mentio est de Godefrido Philippi filio secundo genito, cum patre

patre Viennâ, ceu possessione communi, eiecto, quod de Henrico primogenito, siquidem tum inter vivos fuisset, dictum oportebat. Puerum autem decessisse, argumento est puerilis eius imago in tumbâ aviæ eius Margaritæ; nec improbabile, eodem cum aviâ tumulo sepultum. Ita autem in ea tumba de Henrico scriptum, ut suprà memorabam. *Henricus primogenitus Philippi Comitis Viennensis.* At in Ephemeridibus MARIAE Vallis, ita:

XVI. Kalendis Ianuarij obijt Henricus primogenitus Philippi, Comitis Viennensis, de quo habuimus XX. libras. Hac die habebit Conventus ad Pitantiam XX, Solidos.

GODEFRIDUS, gentis propagator, de quo mox.

PHILIPPUS. Anno 1285. cum Mariâ matre & fratre Godefrido, ceram tabulis maternis apposuit, notatam insignijs Perviciacensibus, ut est in Butkenio. Tradit idem in titulis eum gessisse Rumpstam, Hobokam, Vittelam, & Viennam pro parte quartâ, coniugemque habuisse Sophiam de Scornaco, liberosque ex eâ Philippum & Mariam.

Anno 1312. interfuit Cortebergæ celeberrimo Conventui, quem eo loco instituit Ioannes eo nomine Secundus, Brabantiæ Dux, legesque ab eo latas cum ceteris Principibus equestribusque viris signavit, V. Kal. Octobris, ut ex monimentis Brabanticis tradit idem Butkenius.

MARGARITA, nupta Arnoldo Comiti Lossensi, quam anno 1280. factis tabulis dotavit, exhiberque tabulas idem Butkenius.

CAPUT IV.

Godefridus Comes Viennensis cum Vxoribus Aleidâ & Lutgardâ, liberisque eorum.

IAm anno 1270. exstat eius nomen in tabulis, ut suprà dictum.

Anno 1279. cum controversia fuisset inter Henricum Bellacostanum, & Abbatem Prumiensem, eamque composuissent Alexander Brunishornius & Gerardus Blankenheimius, factum laudavêre Henricus Luciliburgensis, & Godefridus Viennensis Comites. Ex tabulis.

Anno 1285. VII. Idus Iunias, Maria Godefridi mater, defuncto marito Philippo, silvam Marbaisiam clientelæ nomine ei tribuit. Tabulis ceram Godefridus cum Philippo fratre appendit, notatam Parmâ Perviciacensi cum hoc titulo. *S. Godefroi de Viane.* Butkenius edidit tabulas.

Scripsit hoc anno Iacobus Bretexius de ludis equestribus habitis antè arcem Caluenciacensem in Provincia nostra, præsente Comite Luciliburgensi cum coniuge, multisque proceribus. Meminit inter alios Comitis Viennensis, eumque narrat

narrat in certamen descendisse primum. Exstat liber eius, manu exaratus, in bibliotheca Chiffletiana, rhythmis vetustis Gallicis in arce Salmensi, vivente Henrico Comite, compositus. Hunc Comitem Viennæ, fuisse Godefridum nostrum, & res & tempora postulant.

Anno 1288. interfuit Godefridus celeberrimo prælio ad Buruncum, sectatus partes Ioannis I. Ducis Brabantiæ. De eo nuperus poëta anonymus, qui rhythmos de illa pugna à scriptore coætaneo lingua vetere Brabantica compositos vertit.

Comitemque Viandæ
Gotfredum retinet; qui Perweis stemmatis arma,
Vexillo elato, iam morte exstincta, resumpsit.

Anno 1292. pactum mutui fœderis inijt cum Ioanne Brabantiæ Duce, die Lunæ ante festum diem D. Pauli. Butkenius tabulas emisit.

Anno 1294. die Veneris post SS. Trinitatis solemnes ferias, ratum habuit, quod avus Henricus, atque avia Margarita, consentiente Philippo filio Godefridi patre, donavêre Trinitarijs Viennensibus Mettendorffium & Daleidam, ut ex tabulis autographis habeo. Patris hasce tabulas Philippus filius cera appensa probavit.

Anno 1296. clientem se Ioannis II. Brabantiæ Ducis profitetur Hingenensium decimarum causa. Factæ tabulæ die festo SS. Trinitatis, quarum exemplar est in Butkenio.

Anno 1297. cum immemor assertarum à se antè

antè quadriennium Trinitarijs Viennensibus parœciarum Mettendorfiæ & Daleidanæ, curatorem ijs parœcijs, ceu patronus, constituisset, monitus, nullum esse ei ius patrocinij, factum revocavit, editis tabulis die Veneris post solenne SS. Trinitatis.

Anno 1299. vendidisse Godefridum Guidoni Flandriæ Comiti Ninhoviam, auctor est Butkenius.

Anno 1303. est primus arbiter pacis cum Ioanne Cuickio & alijs, inter Ioannem Brabantiæ Ducem, & Bertholdum Mechliniæ Dominum. Tabulas habet Butkenius, editas die Sabbati antè ferias D. Lamberto sacras.

Obijt Godefridus anno 1312.

Uxores duxit, primam Aleidam ab Aldernardâ, mortuam anno 1305. Tum Lutgardam de Ligny, Fleruti Dominam, cuius exstant in archio Luciliburgensi tabulæ anni 1318. quibus se inscribit Dominam de Ligny ad Flerutum, uxorem Godefridi Comitis Viennensis & Domini Grimbergæ. Testatur autem soluta sibi à Ioanne Bohemiæ Rege duo debita, quæ pater eius Henricus Imperator apud maritum suum contraxerat, primùm pro 319. libris & semuncia argenti fabrefacti: deindè pro argenti signati libris mille, ac denique ex triente pro LX. arcubalistis, longis pedes duos. Credibile est ista comparasse Henricum, cùm ad Imperium evectus, militari ceteroque Augustali apparatu se communivit.

LIBERI

Liberi Godefridi ex Aleida.

PHILIPPUS. In tabulis paternis anno 1294. memoratur, ut suprà dictum.

Anno deindè 1306. die Veneris post annuum solenne decollationis S. Ioannis, titulo *Primogeniti*, spondet Henrico Comiti Luciliburgensi, ei qui ad Imperium est evectus, se Viennam ab eo clientelæ nomine more maiorum susccepturum; id quod eodem anno, die Lunæ antè festum diem D. Andreæ prestitit, hoc addito, se ubi statum atque conditionem (quippe etiam tum vivente Godefrido patre) una cum sigillo mutaverit, cuncta iteratò probaturum, his interim tabulis sigillo suo privato proprioque signato.

Anno 1308, titulo *armigeri* vivente adhuc patre, Viennensibus oppidanis, ius, libertatem atque immunitatem more maiorum dedit, ad exemplum civitatis Trevirensis. Excepit tamen, fas sibi fore, aut belli, aut nuptiarum liberorum suorum, aut, quod Superi evenire nolint, captivitatis suæ causa, moderata ratione subsidium exigere pecuniarium. Tabulæ factæ Viennæ antè ferias D. Catharinæ dicatas, easque cum Henrico Abbate Prumiensi, Gerardo Bellacostano, Friderico Novocastrio, Sugero Burcheitano equitibus, & Theodorico Brandeburgico armigero, æeris appensis obsignavit.

Anno

Anno 1312. unà cum coniuge Aleida, donavit Trinitarijs Viennensibus pratum. Conditæ tabulæ postridiè Kalendas Ianuarias.

Cum eodem anno Waltherus Wiltzius, vir equestri apud nos origine, Henrico Baufortio, viro quoque equestri, Lincerium prisca gente & arce nobilem locum, vendidisset; Philippus pro Wiltzio cavit, ut ex tabulis tradit V. A. Eustachius Wilthemius Præses.

Eodem anno, V. Kalendas Octobris, adfuit Cortebergæ in Conventu Principum virorumque nobilium, habito à Ioanne II. Brabantiæ Duce, ut ex priscis tabulis tradit Christophorus Butkenius.

Anno denique 1315. donavit Trinitarijs Viennensibus, unà cum coniuge Aleyda, campum Dieffendallensem vineæ instruendæ, cum censu libræ ceræ annuè sibi pendendæ die festo D. Remigij. Scriptæ tabulæ mense Aprili.

Qui eum anno Millesimo trecentesimo duodecimo obijsse tradunt, videant qua id ratione defendant, contrà pugnantibus tabulis suprà dictis.

Coniugem duxit Philippus Aleydam quam dixi Arensbergicam, nullis ex ea procreatus liberis.

GODEFRIDUS, quem gentis propagatorem posteà dicemus.

HENRICUS anno 1316. titulo *Domicelli Comitis Viennensis*, rogato ab Arnoldo de Pittinga Nobili

Nobili Viro, & Seneschallo seu Gubernatore Luciliburgensi, ut Ioannis Bohemiæ Regis militem susciperet, paruit ad breve tempus, sed deindè renuit. Unde equestris Ordinis sententiâ condemnatus est. Ex tabulis archij Luciliburgensis.

Anno deindè 1325. cum Gerardo de Ham consanguineo suo, varijs de rebus controversis inijt concordiam. Tabulas cum eo signavit Fridericus Novocastrius, qui *avunculum* suum eum nominat. Tabulas vidit idem V. A. editas pridiè festæ dici Ascensionis Domini Nostri, appensâ Henrici cerâ, notatâ Perviciacensibus insignijs.

Anno tandem 1330. cum Fridericus Croneburgius eques tabulas ederet dotalitias Annæ de Heu sponsæ suæ, Henricus eiusque clientes Hermannus Brandeburgius, Holfeltzius, Waltherus Meisenburgius, Clarevallanus, Simon Fischbachius, Conradus Durdillius, Henricus Bettendorfius, viri equestres, ceras rogati tabulis apposuêre, quas vidit idem. V. A.

Obijt Henricus sub annum 1351. Uxor ei fuit Margarita Falcomontia, Domina oppidi S. Viti, Burgembachij & Dasbergi, ut Butkenius tradit.

LIBERI GODEFRIDI EX LUTGARDA.

LUDOVICUS, Canonicus Leodiensis, Præ-

 positus

positus Monasteriensis, cæsus à Wilhelmo Comite Namurensi.

IOANNES, Canonicus ad D. Lamberti Leodij.

LUTGARDA, nupta primùm Warnero Daulensi, tùm Ioanni Sombreffæ Domino, quæ omnia idem Butkenius.

CAPUT V.

Godefridus Comes Viennensis, & liberi eius.

VXorem duxit Mariam Flandram, Comitis Namurensis filiam. Profectus in Cyprum ibi anno 1335. diem obijt, ut Butkenius alijque. Itineris eius meminit in hodœporico suo Hildolfus; quod hodœporicon manu exaratum, & Balduino de Steinwordiâ, Episcopo Paderbornensi dicatum, vidi antehac in Bibliothecâ Patrum Dominicanorum Luciliburgensium. Fuit is Hildolfus *Rector Parochialis in Suthen*, & anno 1336. in Palæstinam Profectus, inde redijt anno 1341. Ita autem scribit, *Item meis temporibus in Cypro multi nobiles, Barones & Milites de partibus Alemanniæ discesserunt, scilicet Comes de Vianden, & Comes de Schwertzenburg, & Dominus de Sle, & Dominus de Lichtensteine, & alij quam plures.*

Godefrido, ex Uxore Mariâ, filij fuêre nulli, sed filiæ.

GODE-

GODEFRIDI LIBERI.

MARIA & ALEIDA. Videtur hæc defuncto patre aliquanto tempore fuisse sub tutelâ. Exstant quippe tabulæ Godefridi de Vianden *Mamburni Comitatus Viennensis*, quibus fideiubet Lombardis Usurarijs Viennæ degentibus, pro Ægidio Rodemacherio, Domino de Casâ-Petræ equite. Editæ tabulæ anno 1347. quibus appensa cera insignita Parmâ Viennensi. Fuerit fortasse hic Godefridus Mariæ & Aleidæ hæredum, frater Nothus. Ut ut est, enupserunt deinde, duæ illæ Godefridi filiæ, Maria in gentem Spanheimiam, iuncta Simoni, Aleida in Nassoviam, data Othoni, cuius hodie posteri, Principes Auriaci, Viennenses Comites sunt.

Et hactenùs stirpem Comitum Viennensium, quàm longissimè potui, ab antiquâ origine repetivi. Cetera deinde, ut notiora, multi executi sunt, sed omnium accuratissimè, doctissimèque Butkenius.



SERIES PRIORISSARUM MARIÆ VALLIS.



Uæ à prima cœnobij MARIAE Vallis origine cœtum gubernaverint, aut maioribus nostris curæ non fuit tradere posterorum memoriæ, aut memoriæ eripuêre longa tempora. Ab Yolandâ deinceps maior fuit eius rei cura. Nobilis Vir Antonius Blanchard, rerum nostratium cognoscendarum perquam studiosus, mihi Seriem Priorissarum MARIAE Vallis, seculo hoc nascente digestam, exhibuit, annis, quibus singulæ obierunt, & tempore gubernationis earum adnotatis. Nomina Priorissarum, servato ordine, repræsento, duabus additis, Catharinâ, cuius exstant tabulæ anni 1285. & Aleydâ, cuius memoria ut viventis in tabulis anni 1303. Anni porrò in serie appositi, vereor ut ubique veritati respondeant. Certè in Yolandâ & Poncettâ Meisenburgicâ à vero aberrant. Quocircà ablatis ad eorum nomina vitiosis illis annis, veros substitui, ceteris suæ fidei relictis.

	Obijt anno	Præfuit annis
Yolandis Comitissa de Vianden.	1283.	25.

Catha-

Catharina........ Vivebat	1285.	.....
Poncetta de Meisenburg.	.....	.....
Aleydis........ vivebat	1303.	.....
Margarita Comitissa de Lutzemburg.	1336.	.....
Ida de Mersch.	1341.	5.
Felicitas de Asperomonte.	1361.	20.
Ioannetta de Limpach.	1366.	6.
Sara de Hollenfeltz.	1382.	15.
Elisabetha de Heldingen.	1384.	2.
Adelheidis de Sassenheim.	1388.	4.
Hebela de Elter.	1391.	3.
Margareta de Sassenheim.	1398.	7.
Mechtildis de Roussy.	1411.	13.
Catharina de Rupe.	1417.	6.
Margareta de Steinville.	1420.	3.
Adelheidis de Elter.	1458.	37.
Maria von der Feltz.	1466.	8.
Iohannetta de Milburg.	1470.	4.
Anna de Rollingen.	1503.	33.
Guda de Barbanson.	1531.	28.
Iuliana de Barbanson.	1570.	39.
Catharina de Roltzhausen.	1593.	23.
Apollonia de Enschringen.	1596.	3.
Catharina de Lontzen, dicta Roben.	1598.	2.
Francisca de Schawenburg.	1611.	13.
Margareta de Rollingen.	1619.	7.

Hactenùs Blanchardiana series. Et quæ huc usque rem rexêre Priorissæ à Senatu Lucilibur-

SERIES PRIORISSARUM MARIÆ VALLIS.



Uæ à prima cœnobij MARIAE Vallis origine cœtum gubernaverint, aut maioribus nostris curæ non fuit tradere posterorum memoriæ, aut memoriæ eripuêre longa tempora. Ab Yolandâ deinceps maior fuit eius rei cura. Nobilis Vir Antonius Blanchard, rerum nostratium cognoscendarum perquam studiosus, mihi Seriem Priorissarum MARIAE Vallis, seculo hoc nascente digestam, exhibuit, annis, quibus singulæ obierunt, & tempore gubernationis earum adnotatis. Nomina Priorissarum, servato ordine, repræsento, duabus additis, Catharinâ, cuius exstant tabulæ anni 1285. & Aleydâ, cuius memoria ut viventis in tabulis anni 1303. Anni porrò in serie appositi, vereor ut ubique veritati respondeant. Certè in Yolandâ & Poncettâ Meisenburgicâ à vero aberrant. Quocircà ablatis ad eorum nomina vitiosis illis annis, veros substitui, ceteris suæ fidei relictis.

	Obijt anno	Præfuit annis
Yolandis Comitissa de Vianden.	1283.	25.

Catha-

Catharina . . . . Vivebat	1285.	. . . . . .
Poncetta de Meisenburg.	. . . . .	. . . . .
Aleydis . . . . vivebat	1303.	. . . . .
Margarita Comitissa de Lutzemburg.	1336.	. . . . . .
Ida de Mersch.	1341.	5.
Felicitas de Asperomonte.	1361.	20.
Ioannetta de Limpach.	1366.	6.
Sara de Hollenfeltz.	1382.	15.
Elisabetha de Heldingen.	1384.	2.
Adelheidis de Saffenheim.	1388.	4.
Hebela de Elter.	1391.	3.
Margareta de Saffenheim.	1398.	7.
Mechtildis de Roussy.	1411.	13.
Catharina de Rupe.	1417.	6.
Margareta de Steinville.	1420.	3.
Adelheidis de Elter.	1458.	37.
Maria von der Feltz.	1466.	8.
Iohannetta de Milburg.	1470.	4.
Anna de Rollingen.	1503.	33.
Guda de Barbanson.	1531.	28.
Iuliana de Barbanson.	1570.	39.
Catharina de Roltzhausen.	1593.	23.
Apollonia de Enschringen.	1596.	3.
Catharina de Lontzen, dicta Roben.	1598.	2.
Francisca de Schawenburg.	1611.	13.
Margareta de Rollingen.	1619.	7.

Hactenùs Blanchardiana series. Et quæ huc usque rem rexêre Priorissæ à Senatu Lucilibur-

gensi probabantur, eratque eis magistratus perpetuus. At imposterum ab anno 1619. ex instituto Ordinis D. Dominici ad triennium eligi cœptæ sunt, quarum hic ordo.

	Electa.	Gubernavit.
Iuliana Elisabetha de Deuth.	1609.	4.
Barbara de Housse.	1623.	6.
Salome de Schawenburg.	1629.	3.
Nicolaa de d'Allamont.	1632.	3.
Ester Faust à Stromburg.	1635.	6. menses.
Nicolaa de d'Allamont, iterùm.	1636.	1. & semis.

Hic annus Provinciæ Luciliburgensi suprà omnem memoriam præteriti temporis calamitosus, eam propemodum ad solitudinem redegit, belli iniurijs & pestilentiâ incredibili editâ rerum omnium strage. In communi exitio MARIAE Vallis mirè afflicta est, familiâ redactâ ad sex capita, Nicolaa d'Allamontia Priorissa morte sublata. Inter sex illas Virgines duæ erant ob ætatem nondum suffragio accipiendo habiles. Egêre itaque, quæ supererant Virgines, apud Reverendissimum Patrem Nicolaum Rodulfum, Ordinis D. Dominici Generalem, ut ex alio cœnobio tresmitterentur, quæ & numerum augerent, & pristino flore reducendo iuvarent. Post multas maximasque preces, agente Admodum Reverendo Patre Ioanne Frid Provinciali, Germaniæ, Pontificiâ auctoritate, ex cœnobio D. Catharinæ Augustâ Vindelicorum, tres & genere

genere, & prudentiâ, & virtute nobilissimæ Virgines missæ sunt, Maria Magdalena Comitissa Kurtzia; Iuliana Velsera, Patricia Augustana; & Maria Maximiliana, Comitissa Fuggera. Magdalenæ demandatum munus Priorissæ, Iulianæ Suppriorissæ, Maximilianæ data cura tirocinij. Hæ Augustâ profectæ, MARIAE Vallem advenêre anno 1642. VIII. Idus Maias, eodemque die, adstantibus Admodum Reverendis Patribus Arnoldo Gilio & Lucâ Newheusero, illo Trevirensi, hoc Luciliburgensi Priore, promulgatâ publicè earum confirmatione, suum quæque Magistratum feliciter iniêre, remque restituere orsæ sunt.

Elapso triennio, iterùm tulit Suffragia Magdalena Kurtzia, & anno 1646. XI. Kalendas Octobres decessit. Sublecta ei Catharina de Hautoy, confirmata est anno sequenti 1647. VIII. Idus Apriles. Exinde Magistratum continuavit ad annum usque 1661. quo anno consentientibus omnium votis electa est Maria Christina de d'Allamont. Sed rara Virginis modestia magistratu sibi delato liberari petijt, nec petere destitit, donec tandem multo molimine impetrato universi cœtus consensu, à Superioribus liberata est.

Itum igitur denuo in suffragia anno 1663. & XVI. Kalendas Apriles electa est Maria Maximiliana Fuggera, cui munus in hodiernum usque diem prorogatum est, eo successu, eoque disciplinæ & rerum omnium incremento, ut cum

Floren-

Florentissimis quibusque Virginum Ordinis D. Dominici cœnobijs MARIAE Vallis virtutum famâ eluceat. Cœtum autem modo constituunt hæ Virgines.

Maria Christina de d'Allamont, Suppriorissa, Anna Ioanna Fock ab Hubingen, Regina Elisabetha à Daum, Maria Magdalena à Weingart, Regina Theresa à Roben, Maria Barbara de Villechole, Maria Dominica ab Elter, Maria Barbara Hyacintha de Hautoy, Maria Ludovica de Laitre, Maria Anna de Roben, Maria Eleonara de Lige, & Maria Iosepha à Daun, novitia.

Hæ omnes spretis mundi delicijs, & stemmatum pompa, sub sua Maximiliana, probitate, integritate, pietate & modestiâ, ceu lucentes quædam stellæ, modo micant in terris, ut olim omnes cum sua Yolanda, tanquam Soles, fulgeant in perpetuas æternitates. Interim earum conscientiæ moderator paterna planè cura eis adest Admodum Reverendus Pater Hyacinthus Reulandt SS. Theologiæ Professor, & in Ordine Præsentatus, vir prudentiâ, pietate, & modestiâ singulari præditus.

FINIS.

